

3100.













1580 DA BOX






3100.

46

E

SERE

PRINCI

Dn. FRIDE

RIGIÆ &c.

pientissimo, cu

nus Rosch

CIↃ

ce

NICOLA

AR

Im

C

EXEQVIÆ SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, Dn. FRIDERICO II. DANIÆ, NORRIGIÆ &c. REGI POTENTISSIMO ET pientißimo, cum fieret ejjus Maijestati funus Roschildiæ, Nonis Iunij, Anno CIↃ IↃ XIIC. in arce Hafniensi factæ,

à

NICOLAO LAVRENTII F. ARCTANDRO Nidrosiensi.



HAFNIÆ,
Impreßit Laurentius Benedictus.
M. D. XC.
Cum Gratia & Priuilegio.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, AC MAGNIFICIS DOMInis, Dn. Gubernatoribus, & cæteris Senatoribus Regni DANIÆ &c. prudentißimis, Dominis & patronis suis submißâ observantiâ perpetuò colendis, salutem & Spiritum Sapientiæ, Iusticiæ & pacis precatur,

NICOLAVS LAVRENTII F.
Arct. Nidros.


VOD IN SACRÆ SCRIPTVræ monumentis, illustres, magnifici & generosi Domini Gubernatores, & Senatores, Domini &
Exod. 22. Psal. 82. Iohan. 12. Mecænates amplißimi, Dij nuncupantur, qvicunq; Magistratus funguntur munere, nemo in ea appellatione momentum inesse leve existimet. Nam & functionis hujus dignitatem & excellentiam ob oculos ponit: & magistratibus ingentem stimulum addit, qvo ad officium excitentur: simulq; subditos admonet, qvæ magistratui cuj parere tenentur obedientia & reverentia debeatur.

I. Excellentia officij magistratus.

Primùm enim magistratuum munus non modò sibi probari, acceptumq; esse hac appella-



pellatione testatur Deus: verum etiam signi-
ficare vult, mandatis suis instructos & institu-
tos, ac divinâ avthoritate in terris præditos
esse, Deiq; personam omninò sustinere, cujjus
vicarios qvodammodo inter mortales agunt. Rom. 13.
Nam & potestatem nullam esse nisi à Deo in-
stitutam, Spiritus Sanctus tradit, & qvæ exi-
stunt potestates divinam esse ordinationem:
ac præsides non pro hominibus sed pro IEHO- 2. Par. 19.
VA judicare, ejjusq; ministros esse benè agen- Rom. 13.
tibus in laudem: malis ad iram ultores. Qva-
re jam nulli dubium esse debet, qvin civilis
potestas, vocatio sit non modò avgustissima, &
summæ dignitatis ac excellentiæ in totâ hu-
mani generis societate: sed coram Deo etiam
sancta & legitima, utpote qvæ á Deo ordina-
ta & sancita, ejjus & nomen refert, & vices
qvodammodo in hac vita agit & sustinet.

Qvæ assiduis cogitationibus animo II.
Magistratum revolvere decet, cum immen- Vnde Ma-
sum calcar illi addere, qvo ad officij curas fide- gistratus
liter obeundas excitetur, & eximium solati- ad facien-
um afferre possit, qvo muneris sui difficultates dum offi-
(qvæ sanè nec pavcæ nec leves sunt) leniat ac cium exci-
mitiget. Qvantum enim pietatis, sapientiæ, tabitur.
justiciæ, clementiæ & integritatis studium?
Qvantam veritatis, innocentiæ, humanitatis

& temperantiæ curam à se ipso exigere opor-
tet eum, qvi se Dei vicarium esse novit, di-
vinoq; fungi officio? Avt qvâ conscientiâ ju-
dicij æqvitatem pervertere, avt amoris vel
odij, favoris vel iracundiæ, metus vel aliorum
cæcorum affectuum impetu, depravare: avt
προσωποληψία, vel donorum acceptione ini-
qvitatem admittere avdeat, qvi in Dei vi-
ventis tribunali se collocatum, & Divinæ ju-
sticiæ ministrum & executorem constitutum
meminit? Qvin potius summâ curâ, inde-
fessâ sedulitate, vigilantiâ & industriâ ope-
ram det, ut cujjus locum tenet, ejjusdem &
bonitatem, sapientiam, justiciam, veritatem,
sanctitatem, & virtutes, vivâ imagine mor-
talibus repræsentet, ne si in contraria vitia de-
flexerit, nomen DEI in ipso blasphemetur,
ipseq; in eum contumeliosius existat, dum sa-
crosancta ejjus judicia polluit, & pervertit.
Itaq; cum suorum judicum animos, Iosaphat
exhortatione religiosâ, ad diligentiam in offi-
cio rectè præstando accendere vellet, nullum
habuit argumentum efficacius, qvo eos in su-
am sententiam pertraheret, qvàm qvod mo-
dò commemoravimus, videte, inqvit, qvid
2. Par, 19. agatis, non enim pro homine judicium exer-
cetis, sed pro Deo, qvi vobis in negotio judicij
affu-

assuturus est. Nunc igitur sit pavor Domini super vos, custodite & facite. Est enim IEHOVA Deus noster ab iniqvitate, & habendâ personarum ratione, munerisq; acceptione alienus.

Horum enim verborum compendio, duobus membris absolvuntur, qvæ magistratui meditanda & facienda sunt. Nam primo proponuntur ea qvæ ad officij curam judices & præsides invitabunt, ut nimirum meminerint se loco Dei constitutos, ejusq; esse judicium qvod exercent: & qvod ipse tanq̃ supremus justiciæ præses, in re judiciaria adsit, ut indè colligant eum futurum ἀντευέργετικον, *& defensorem, sive, ut ipse loqvitur, scutum & mercedem valde magnam, si voci illius obediverint, & in commisso munere fidelitatem & æqvitatem suam studiosè ej probaverint & declaraverint: ut nulla cavssa sit cur humanæ potentiæ, avt violentiæ metu, à recto tramite deflectant. Sin verò opus Domini fravdulenter egerint, bonum malum, & malum bonum dicentes, & tenebras in lucem, ac lucem in tenebras convertentes, vel sontes absolverint ob munera, & insontibus jus suum eripuerint, intelligant sibi non defuturum justum & severum ultorem & vindicem, qvi*

Devt. 1.

Genes. 15.

Esaiæ 5.

Sapien. 6. *eorum facta excutiet, & consilia examinabit,*
Officium magistratus in qvibus consistit. *illosq́ horribiliter & repentè invadet, in potentes potenter animadvertens.*

Deinde præcipua capita officij eorum qvi civili funguntur magistratu compendiosè indicantur. 1. *Qvorum primum est, ut Deum*
Psalm. 2. *timeant, qvemadmodum & Psalmus præcipit inqviens: Prudenter agite Reges, erudimini judices terræ. Servite* IEHOVÆ *in timore, & exultate in tremore. Prima igitur pieta-*
Sapien. 6. *tis & Religionis sit cura, ut Magistratus tan-*
Rom. 13. *qvam ministri regni Dei & ipsius servi, cogitatione & metu iræ ac judicij divini adversus peccatum expavescant, & omnia delicta qvæ Creatoris volūtati & mandatis adversantur,*
1. Pet. 5. *sedulò fugiant, seq́ potenti manui* DEI *reverenter submittentes, in totâ vitâ, ad normam verbi omnia consilia, omnesq́ actiones gubernent, Deumq́ colant, invocent, diligant, &*
Esai. 49. *fideles Ecclesiæ nutricij sint. Cultum qvoq́ Dei si eversus vel corruptus fuerit restituant: avt si purus fuerit, eam Religionis curam gerant, ut sub ipsis syncera & incolumis floreat, atq́ ad posteritatem incorrupta transmittatur. Hæ enim partes magistratibus præcipuè à Deo injunguntur: sicuti æqvum est eos tuendo & asserendo ejjus honori operam impendere, cuj-*

jus

jus vicarij sunt, & cujjus opus est qvod Reges Prov. 8.
regnant, & consiliarij decernunt justa: qvod Principes imperant, illustresq́ sunt omnes judices terræ.

Alterum est, ut custodiant & faciant, 2.
scilicet ea qvæ sunt officij. Nam civilis potestatis munus non tantum ad primam legis tabulam, sed etiam ad secundam se extendit. Vult igitur Dominus, ut qvi alijs præsunt, fidem & diligentiam suam qvoq́ testatam reddant in præstandis eis, qvæ posterioris tabulæ mandata exigunt & reqvirunt. Qvæ Ieremias pavcis Ierem. 22.
complexus, illis denunciat, ut faciant judicium & justiciam, liberent vi oppressum de manu calumniatoris: peregrinum & viduam, & pupillum ne contristent: ne injuriam faciant, & sangvinem innocentem ne effundant: Operam tamen dent, ne frustrà, ut Pavlus docet, Rom. 13.
gladium gestent, sed Dei se ministros ostendant, cum ad honorem & lavdem rectè agentium: tum ad irrogandas pœnas ijs qvi malè faciunt, & flagitiosè vivunt.

Præterea Iosaphati oratio monet, ut magi- 3.
stratus Deo, cujjus vices agunt, similes se præbeant in fugienda iniqvitate, & in vitanda προσωποληψία *& muneris acceptione. Nam abominatio est, Solomone teste, apud Reges* Prov. 16.

facere iniqvitatem: qvoniam in justiciâ fir-
Prov. 17. matur solium. Et, qvi impium justificat, &
qvi condemnat justum, uterq; abominatio est
Ibid. 24. Domino: atq; qvi iniqvo dicit, justus es: huic
populi maledicunt & nationes. Injusticiam
Lev. 19. igitur in judicio fugientes judices, omni vitâ
studiosè (qvod Moses principibus, qvos in su-
Devt. 1. um locum suffecerat edicit) avdiant contro-
versias fratrum suorum, & justè de cavßis vel
civium inter ipsos, vel cum peregrinis judi-
cent, néve in judicijs ullam personarum ha-
beant rationem, sed tenues juxta ac potentes
avdiant, neq; timeant sibi ab ullo viro: qvia
Lev. 19. judicium Dei est. Non indulgeant præposte-
râ misericordiâ pavperi, nec honorent assen-
tando vultum magni, sed in justiciâ proxi-
mum suum judicent, cavssasq; decernant.

Exod. 23. Neq; munera accipiant qvi gladio ci-
vili armati sunt, qvoniam illa excæcant pru-
Syr. 20. dentes, & subvertunt verba justorum: & tan
qvam oris obstructio, repræhensiones impedi-
Deut. 27. unt: imò qvia maledictus à Domino qvi dona
Prov. 17. sumit, ut pervertat judicij semitas, qvi verò
Ibid. 15. odit munera, vivet: & qvi se justè gerit
æqvumq; loqvitur: injuriosum lucrum re-
Esa. 33. spuit, suam manum excutit, ne dona suscipi-
at: avrem obturat, ne sangvinem avdiat,
ocu-

oculoſq́ ab injuriâ videndâ continet: is in excelſis habitabit, Regemq́ cœlorum in ſuâ pulchritudine (ut Propheta loqvitur) aſpiciet.

Conſolationem qvoq́ qvæ ſuperius dicta ſunt, eis qvi civili poteſtate funguntur, adferunt uberrimam, cum videant ſe in vitæ genere nec prophano, nec à Chriſtianâ pietate alieno verſari, ſed ſanctiſſimis occupationibus & negocijs diſtringi: utpote qvi divinæ legationis præfecti ſint muneri. undè à DEO avxilium & conſilium, in difficultatibus officij expectare poſſunt, qvod juxta promiſſionum tenorem, ipſos ſit protecturus, viamq́ qvâ ſit eundum oſtenſurus, & eis oculo ſuo conſulturus, modò pietatem ſectantes ſeriò hoc petant, qvemadmodum Solomonis teſtatur exemplum & hiſtoria.

Conſolatio magiſtratus. — Pſalm. 32. — 1. Reg. 3.

Poſtremò & ſubditos admonet appellatio illa, qvâ Dij nuncupantur, qvi magiſtratum gerunt, qvæ obedientia & reverentia ipſis debeatur. Qvàm enim honorificè ſtatuant de eorum functione ſentiendum, qvos agnoſcunt Dei vices ſuſtinere, in Deiq́ tribunali in terris collocatos? Qvantum honoris, obedientiæ & timoris exiſtiment eis impendendum, qvos avdiunt Dei loco conſtitutos, & divinâ avthoritate præditos eſſe? cum

III. Qvid ſubditi magiſtratui debeant.

 Pavlus

Rom. 13. *Paulus dicat: Omnis anima potestatibus su-*
blimioribus subdita sit. Qui enim potestati
resistit, divinæ ordinationi resistit. Non so-
lùm itaq; propensis in eorum observationem
animis, suam illis obedientiam probare stude-
ant, in omnibus rebus, quibus pietas & Reli-
Actor. 4. *gio non magis Deo, quam hominibus obedire,*
suo quodam jure inviolabili postulat: sed eti-
am tanquam Dei ministros & legatos suspi-
ciant, revereantur, omnibusq; honorum sti-
Rom. 13. *pendijs colant, non tantum propter iram, sed*
1. Pet. 2. *propter conscientiam. Hoc enim requirit Pe-*
trus, cum Regem honorari, & Solomon, quū
Prov. 24. *Deum & Regem timeri præcipit.*

Neq; hic honor vivis solummodo ex-
hiberi debet: sed etiam post obitum, laudari
scriptis & vivâ voce, gratâq; virtutum &
nominis recordatione celebrari merentur ij,
qui genere, pietate, sapientiâ & justiciâ illu-
stres extiterunt, & præclarè de Ecclesiâ &
Repub. meriti sunt. Etenim ordo justiciæ hoc
postulat, ut quibus vitæ socia fuit virtus: ijs
mortis comes sit gloria, perpetuaq; beneficio-
rum memoria. Quod etiam DEus tanquam
singulare obedientiæ præmium pijs pollicetur
Psalm. 112. *& promittit. Nam Spiritus sanctus in Psalmo*
asserit, justum in æternâ futurum memoriâ.

Id

Id non tantum de DEO intelligendum est, quod justi nunquam oblivioni apud ipsum tradantur, quin semper eorum misereatur, sicut pater filiorum: & nomina ipsorum in cœlis scripta sint: Deoq́ complacitum dare ipsis regnum: sed etiam de hac vitâ, quod nimirum celebre nomen sint habituri, & memoria piorum grata etiam hominibus sit futura, qui eam conservabunt, fidem, constantiam, patientiam, fortitudinem cæterasq́ eorum virtutes, sinceris elogijs prædicando, & ad posteritatem transmittendo. Hunc enim verum esse Psalmi sensum, antithesis illa apud Solomonem ostendit: Memoria justi erit in benedictionem: & nomen impiorum putrescet. Et quod David alibi cecinit: Perdidisti impium, nomen eorum delevisti in æternum, perijt memoria eorum cum ipsis. Nam si quid memoriæ interdum consequuntur impij, id non cum laude, sed cum perpetuâ ignominiâ conjunctum est: piorum verò recordatio, coram Deo, Angelis, totoq́ Ecclesiæ theatro benedicta censetur.

Esaiæ. 49. Psal. 103. Luc. 10. & 12. Prov. 10. Psalm. 9.

Quamobrem decantari olim solitæ fuerunt in populo Dei virorum clarorum laudes & encomia, sicuti ex ijs colligere promptum est, quæ de Davide narrantur, quod næniam

in Sau-

2. Sam. 1. *in Saulis & Ionathæ obitum composuerit, atq;*
2. Par. 35. *in suo regno cani à subditis præceperit: & illis*
qvæ de Iosiâ leguntur, qvod omnes cantores in
suis lamẽtationibus ejjus mentionem fecerint,
usq; ad hodiernum diem: eâ re apud Israëlitas,
in consvetudinem adductâ, sive solennibus
anniversarijs id factum sit, sive alio modo &
tempore. Siqvidem principum virorum &
heroum laudationes, non in unâ qvondam
πανηγύρει, *consumebantur universæ: sed ma-*
gno apparatu iterabantur qvotannis, in ma-
gnâ hominũ freqventiâ, populorumq; celebri-
tate. Qvod & hoc tempore in multis locis con-
svetudo obtinuit. Veruntamen omnia in hunc
finem directa sunt, ut commendatio virtutis,
ac præclari nominis defunctorum, superstites
ad laudatißimi exempli imitationem, & ad
consectationem veræ gloriæ, qvæ virtutis est
comes, invitet & exstimulet: ut solet exem-
plorũ vis magna esse in utramq; partem: idq;
fieri qvod Poëta dixit: Laudataq; virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Hæ cogitationes effecerunt, ut me non adeò
difficilem præbuerim amicis suadentibus, ut
in lucem venire paterer concionem funebrem,
qvâ pijs manibus serenißimi, laudatißimiq;
Regis nostri, Dn. FRIDERICI *Secundi (cuj-*
(jus

jus nomen in æternâ ſit benedictione) in arce hac regiâ à me parentatum eſt, eodem die, qvo exeqviarum juſta ejjus Majjeſtati Roſchildiæ debitâ pompâ fiebant & perſolvebantur. Nam eximia fuit hujjus Regis pietas, ſtudium Religionis conſervandæ, & gloriæ nominis Divini propagandæ, indefeſſum, juſticiæ & clementiæ in imperio nunqvam ſatis lavdatum temperamentum, diligens pacis tuendæ cura, & inſignis vitæ integritas ac moderatio. Breviter, omnes ipſius Majjeſtatis cogitationes, conſilia & actiones eò directæ fuerunt, ut Dei nomen ſanctificaretur in terris, patriæ commoda & emolumenta qvotidianis avgerentur incrementis, & civium populorumq; ſalus & tranqvillitas, inconcuſſâ floreret baſi. Vndè dignus eſt, ut ejjus feliciſſima memoria perpetuò in animis noſtris revireſcat, & exemplum poſteritati imitandum & admirandum proponatur & exhibeatur.

Cum igitur & anni tempus, & hic ipſe dies renovet acerbam recordationem ingentis illius luctus & doloris, qvem ante biennium ex Sereniſſimi noſtri Regis immaturâ morte accepimus, volui qvaliſcunq; hujjus concionis editione, tanqvam novâ parentatione, & meam in Regem de me optimè meritum, pietatē

&

& gratitudinem testari: & ejjus beneficiorum ac heroicarum virtutum, qvæ Ecclesiæ & Rejpub. utilissimæ fuerunt, sanctam memoriam hominibus in mentem revocare.

Qvod non solùm fieri debere ob cavssas, qvarum mentionem superius feci: sed etiam necessarium & utile esse, existimavi. Præsertim cum Esaiæ concio, qvam pro meorum donorum modulo & tenuitate hîc interpretatus sum, omnium malorum primam parentem (ut Bernardus loqvitur) incuriam, peccandiq́; securitatem & licentiam (qvæ nunc passim inter mortales regnat) animis nostris excutere, & ad seriæ conversionis studium, & in precibus vigilantiam, nostra pectora meritò impellere & accendere debeat, ut digni habeamur qvi effugiamus omnia ista mala, qvibus Deus offensus, se mundi impietatem & flagitia gravissimè puniturum, minitatur. Eam qvoq́; ob cavssam placuit, ut funebris hæc homilia, nostro idiomate ad populum habita, Romano sermone in publicum prodiret, qvò non tantum à nostratibus, sed etiam ab exterarum nationum hominibus, qvi Danica non intelligunt, legi, & novâ recordatione præclaram illustrissimarum virtutum D. FRIDERICI imaginem cum nostris, tum illorum pectoribus insculpere, posset.

Ve-

Vestræ avtem magnificentiæ, illustres & generosi D. Gubernatores, & Senatores, Domini, & Mecænates amplissimi, tenuem hunc ingenij mei fœtum nuncupandum & dedicandum esse censebam: cum qvia post felicem Sanctissimi Regis ex hoc mundo emigrationem, totum imperij onus qvod ipse sustinuit, divina providentia, in V. M. humeros imposuerit, & vices ejjus in hac minori Illustrissimi Electi Principis ætate supplere voluerit: tum qvia non dubitem beatam Serenissimi D. FRIDERICI II. memoriam, ob præclarissima & planè divina ejjus Majjestatis merita, qvæ largissimis beneficentiæ rivis in Ecclesiam, Rempubl. omnesq́; horum Regnorum cives, & alios ubertim promanarunt: & ob heroica animi & corporis, excellentissimarumq́; virtutum dona, V. M. sacrosanctam, multisq́; nominibus gratissimam esse: nihilq́; V. M. antiqvius sit, qvam ut optima imperij forma, & æqvissima gubernationis Regnorum ratio, ab ipsius Majjestate servata, etiam nunc in V. M. administratione luceat & exprimatur.

Qvamvis avtem si solam exigui hujjus opusculi qvis spectet tenuitatem, nihil hîc animadvertat V. M. dignum, qvod vel uni vestrum, in tantâ honoris & excellentiæ amplitudine, ne dum omnibus offerri debeat: tamen si ipsius rej argumentum, cum illis qvæ modo attulimus, & propensum animi mei studium, considerationi subjecerit, neminem fore

arbi-

*arbitror, qvi meum consilium sit improbaturus.
Nam dedicatione eos separandos non judicavi, qvos
Dei providentia, officij communione, & honoris,
curarumq́ similitudine, ita conjunxit, ut de nullâ re
magis soliciti esse debeant, qvàm ut unum sint, &*
Philip. 2. *gravißimæ Pavli exhortationi satisfacere poßint,
ut ejusdem sint affectionis, eademq́ charitate prædi-
ti, unanimes & sententijs uni: nihilq́ per contentio-
nem avt inanē gloriam gerant: sed ex modestiâ ali-
us alium se præstantiorem existimet, non sua solùm
curantes, sed etiam qvæ sunt aliorum. Præsertim
cum erga omnes & singulos V.M. aliqvod meæ gra-
titudinis & observantiæ extare testimonium vo-
luerim. Qvamobrem ut exiguam hanc grati animi,
& humilis obseqvij significationem, V.M. sibi non
ingratam esse sinat, qvâ par est submißione & re-
verentiâ majjorem in modum oro. Deus Opt. Max.
V. M. in sui nominis gloriam, Ecclesiæ & Rejpub.
horum Regnorum commoda & utilitatem diu flo-
rentem conservet, suoq́ Spiritu gubernet. Et pax*
Philip. 4. *Dei omnem intellectum exuperans, custodiat corda,
& mentes vestras in CHRISTO IESV.
Scribebantur Hafniæ anno M. D. XC. die 4.
Aprilis, qvò ante biennium, naturæ debi-
tum solvens Sanctißimus Rex, D.
FRIDERICVS II. in
cœlestem patriam emi-
gravit.*





EXEQVIÆ ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. FRIDERICO II. DANIÆ &c. REGI, IN ARCE HAFNIENSI, Nonis Iunij, Anno 88. factæ.

ESAIAS Cap. 57.

Iustus perit, nec est qvisqvam qvi reponat corde: Et viri misericordes congregantur, nec est qvi intelligat. A facie enim mali colligitur justus ille. Venit in pacem, reqviescent in cubilibus suis, qvi ambulant in æqvitate sua.

EXORDIUM.



XTAT INTER ALIA Sapientiæ præcepta Syracidis, & hoc, luctuoso hujc tempori convenientissimum: fili, effunde lachrymas super mortuo, luctumq; ut acerba passus exordire: juxta vero morem funebrem corpus ejjus contege, nec sepulturam neglige. Acerbam ede lamentationem, planctumq; accende, Syra. 38.

& luctu qvo dignus eſt eum proſeqvere: Cuj ſi poſt hominum memoriam horum regnorum incolis unqvam obtemperandi juſta cavſſa fuit, nobis certè hodierno die
Geneſ. 50. eſt juſtiſsima. Si enim Ioſeph patrem ſuum Iacob amariſsimè deflevit unâ cum fratribus & maxima Ægypti parte, cum diem ſuum clavſiſſet in vera promiſsi Seminis invocatione, corpusq; ipſius aromatibus conditum, magno comitatu, & inſigni pompa funebri in terram Chenaan deduxit, & ſepulturæ honorificè manda-
2. Sam. 1. vit. Si David occiſum Savlem & Ionatham amicum ſuum integerrimum & fideliſsimum, planctu vehementi & jejunio proſeqvutus eſt cum toto exercitu: ipſeq; tanqvam excellentiſsimus Poëta & Muſicus in Iſraël, epicedion & θρηνῳδίαν in eorum obitum compoſuit, utq; in illorum perpetuam memoriam in terra Iudæ
2. Par. 35. caneretur ſubditis præcepit. Si Ioſiam defunctum univerſus Iuda & Ieruſalem ac propheta Ieremias, lugebant, & lamentati ſunt, omnesq; cantores & cantatrices ſuas qverulas nænias & Threnos, de ipſo ediderunt: nobis vel in primis præſenti tempore hoc faciendum eſt. Amiſimus enim alieniſsimo eccleſiæ & Reipub. tempore, ἡγήτορα καὶ κοσμήτορα λαῶν, imo
patrem

patrem patriæ, pijſsimæ & lavdatiſsimæ
memoriæ principem ac Regem D. *FRI-DERICVM II.* Sub cujus imperio *ju-*
ſticia & clementia ſuaviter temperato,
non tantum eccleſia puraq; Religio in hiſ-
ce regnis boreis, grata halcyonia, tutosq;
nidos invenit: Verum etiam omnibus
Dei & virtutis amantibus tranqvillam ac
qvietam vitam, degere cum omni pietate *1. Tim. 2.*
& honeſtate, licuit. Meritò itaq; dole-
mus, & lugemus qvod morte tanti Regis, *Thren. 4.*
Sub cujus umbra beatè nos victuros ſpe-
ravimus, eccleſiæ nutricium, Religio de-
fenſorem, hæc regna cum ſuis incolis pa-
trem patriæ, & unicum poſt Deum præ-
ſidium, oppreſsi liberatorem & vindicem
amiſerint, ut cum Ieremia optimo *jure* la- *ibid. 5.*
mentari cogamur: pupilli ſumus abſq;
patre, matres noſtræ veluti viduæ, ceſſa-
vit gavdium cordis noſtri, verſus eſt in
luctum chorus noſter, cecidit corona ca-
pitis noſtri: Væ nobis quia peccavi-
mus.

Interim tamen non doleamus qvē- *1. Theſ. 4.*
admodum gentes, qvæ ſpem nullam re-
ſurrectionis avt futuræ vitæ habent, nulla
fiducia bonitatis avt miſericordiæ divinæ
nituntur: Sed venite (ut propheta ſua- *Oſe. 6.*
det) revertamur ad *IEHOVAM*, ipſe

rapuit, & ſanabit nos: percuſsit & alligabit nos. Agnoſcamus corde contrito & Spiritu humiliato peccata & ingratitudinem noſtram, juſtaq; Dei judicia, & ſubjiciamus nos divinæ voluntati, petentes mentibus devotis, veniam, gratiam, conſolationem & avxilium, mæſtiſsimæ Regiæ familiæ & noſtrum omnium nomine à Deo opt. Max. Deinde ut paratiores ſint animi, magisq; ad hæc facienda excitentur, nos lavdabili conſvetudini, & illuſtrium ac magnificorum dominorum mandatis qvi nunc regni gubernacula & commoda tuentur, obtemperantes, in gloriam nominis divini: gratam memoriam, honorem & lavdes virtutum heroicarum defuncti Regis: & declarationem poſtremæ gratitudinis ac benevolentiæ noſtræ erga ipſum, propriamq; inſtructionem & doctrinam, concione funebri piis manibus & exuviis parentabimus, textumq; propoſitum explicabimus.

Pſal. 119.

PRIMVM itaq; dicamus aliqvid de Sereniſsimo & lavdatiſsimæ memoriæ Rege noſtro in Domino defuncto, ſumma ſolummodo rerum faſtigia ſecuti, & ea tantum delibantes quæ formam imperii ipſius, & piam ac felicem horum regnorum gubernationem & adminiſtrationem, mortemq; concernunt.

SE-

SECVNDO. Eſaiæ prophetiam interpretabimur, in qua non ſolum conqveritur de mundi & impiorum ſecuritate & cæcitate, qua *j*uſtorum obitum negligunt, nec ut deceret æſtimant: Verum etiam cauſſas producit cur Deus pios ſæpe avferat: & qvam beatæ ſint eorum poſt mortem conditiones oſtendit.

DE PRIMO.

Non fert propoſiti noſtri ratio, integram hiſtoriam felicißimæ recordationis Regis noſtri contexere: Cum qvia vobis ex parte ſit notißima, tum etiam qvia non defuturi ſint aliĩ, qvibus provincia plenius de ea ſcribendi inprimis demandabitur, nec anguſta hu*j*us loci & temporis conditio permittat pro dignitate qvicquam de tanti herois præclarißimis virtutibus & operibus diſſerere. Non itaq; nobis neceſſe arbitramur, de ortu, genealogia, ſplendore familiæ, & illuſtrißimis parentibus ac ma*j*oribus in Domino qvieſcentis Regis noſtri dicere, neq; de ipſius educatione, rebus geſtis omnibus, totiusq; vitæ tela, narrationem inſtituere. Verum ea per ſumma capita ſaltem attingamus & deli-

babimus qvæ imperij ipſius moderatiſsimi formam & rationes, & piam ac æquiſsimam ampliſsimorum horum regnorum gubernationem & adminiſtrationem, & è terris emigrationem concernunt. Qvo inde heroicas ejjus virtutes immortali gloria & memoria digniſsimas, ac beneficia illa ingentia qvæ Deus per ipſum in nos contulit, & qvantum donum Dei hic Rex fuerit, liqvidius perſpicientes, ad gratiarum actionem, & nominis divini celebrationem excitemur: ſimulq́; intelligamus qvanta pæna peccatorum noſtrorum immaturus ipſius obitus ſit, ut ad ſeriam pænitentiam inſtituendam hinc animi noſtri invitentur & accendantur.

Sunt avtem Reges & Principes,
Exod. 22. alijq́; magiſtratus qvaſi in medio collocati
Pſal. 82. inter Deum & homines qvibus imperant,
Iohan. 12. qvamobrem dij nuncupantur in ſacris litteris qvicunq́; magiſtratum gerunt. Hac enim appellatione ſignificatur mandatum à Deo habere, divina avthoritate præditos eſſe, ac omnino Dei perſonam ſuſtine-
Deut. 1. re, cujjus vices qvodammodo agunt, &
2. *Par.* 19. (qvod ſuis judicibus dicebant Moſes & Ioſaphat qvos per ſingulas civitates Iudæ conſtituebant) judicium exercent non pro homine ſed pro Deo. Chriſtiani er-

go

go principis & magiſtratus officij munus eſt, ut primum Deum, deinde regna & ſubditos reſpiciat, ac utriſq; qvæ ipſis debentur juſta perſolvat. Nos proinde videamus qvomodo *FRIDERICVS* Rex noſter clementiſsimus ſe in ſuo imperio geſſerit erga Deum & ejus verbum, deinde erga ipſius regnis & dominio ſubjectos. *Magiſtratus officium.*

Erga Deum & ejus verbum ſe talem in ſuo imperio præſtitit *FRIDERICVS*, ut ſe verè pium, Chriſtianum ac Dei amantem principem declaraverit. Sicut enim Rex ille gloriæ ad oſtium ſtans pulſat: Et petit ut avdiatur vox ipſius & aperiatur oſtium: ac attollant portæ capita ſua, & elevent ſe aditus perpetui, ut ingredi qveat: Sic Regi noſtro acceptiſſimus hoſpes erat, cuj non ſolum Regna ſua: verum etiam januam cordis maxima alacritate aperuit, ita ut toto imperij tempore de nulla re magis ſolicitus fuiſſe viſus ſit, qvam ut juxta Davidis præceptum Regibus datum, prudenter ageret, & erudiretur vera Dei & ſalutiferi verbi ejus noticia: Serviret *IEHOVÆ* in timore: filium oſcularetur ſinceræ fidei, pietatis, &, obedientiæ oſculo, ne fortè iraſceretur, avt theſauro cœleſtis doctrinæ, puri- *I. Friderici 2. in Deum pietas.* *Apoc. 3.* *Pſal. 24.* *Pſalm. 2.*

tatéve Religionis, harum terrarum spolia-
Prov. 14. ret ecclesias. Novit siqvidem timorem
Ecclesi. 1. Dei esse fontem vitæ, initium sapientiæ, &
omnium virtutum ac felicitatis, pietatem-
qve ad omnia utilem promissiones habe-
1. Tim. 4. re præsentis & futuræ vitæ: &, ut Avgu-
stinus ait, molestias hujjus vitæ avertere
avt lenire, adq; æternam vitam perduce-
re. Qvamobrem primum sui officij mu-
nus arbitratus est, ut non solum ipse De-
um super omnia diligeret: fide non si-
mulata coleret: ejjusq; gloriam propa-
garet: sed etiam alijs, præsertim illustrissi-
mis liberis, ac subditis ut idem facerent
avtor & suasor esset.

Argumēta pietatis Regis. Sunt enim hujjus veræ pietatis evi-
dentissima argumenta diligens sacræ scri-
pturæ lectio (Nam Biblia eum sæpius le-
gisse novimus) assidua verbi divini in pu-
blicis ecclesiæ congressibus avscultatio,
ac lectorum & avditorum meditatio.
Nam sicuti in concionibus attentus erat,
textumq; semper in manibus habuit, dili-
genter animadvertens qvomodo singula
explicarentur (unde longas digressiones
à materia proposita ferre non potuit) sic
de ijs quæ avdiverat, vel legerat, solitus
erat cum suis colloqui. Neq; Sacramenti
cænæ Dominicæ usum neglexit, sed eo
fre-

frequenter in eccleſia *juxta* inſtitutionem Domini, edita prius Chriſtiana confeſſione, fidem ſuam publicè confirmabat, non ignorans illud obſignaculum *juſticiæ* fidei, & incorporationis noſtræ cum Chriſto eſſe. *Roma. 4. Iohan. 6.*

In precibus qvoq; fundendis pro ſua, Eccleſiæ, & Reipublicæ ſalute, felici regnorum adminiſtratione, virtutum ac donorum Dei confirmatione & incremento ardens & aſſiduus erat. Qvamobrem Dauidis Pſalmos inprimis inter alios ſacrarum literarum libros legit & in pretio habuit. Nam Pſalmorum liber, non ſolum, ut Baſilius omni aſſeveratione contendit, ex cunctis qvod utiliſſimum eſt tanqvam flores decerpit, imo locuples & veluti commune promptuarium bonorum documentorum eſt, unde qvod cujq; utile eſt ad curationem, promitur: ſed etiam certas precum formas continet, qvibus homo in omnibus neceſſitatibus & qvibuſvis vitæ caſibus cor ſuum effundere, coram Deo poteſt, & qverelas in ſinum *ejjus* & lachrymas in utrem ipſius deponere. Qvod etiam ex reverendi patris Dni. Lutheri teſtimonio liqvet, qvi dicere ſolebat: Valde dignum eſt admiratione, qvod & de ſingulis fere neceſſitati- *In enarrati. Pſal. 1.*

bus quæ homini Christiano offerri possunt, certæ preces reperiantur in Psalmis: & qvod ipsæ precum formæ tam aptè, tam appositè qvadrent ad singulorum affectus, sensus, tentationes, ut qvisq; fateri cogatur, se ipsum animi sui sensa, & cogitata melius exprimere non posse. Qvamobrem etiam beatissimæ recordationis Rex noster, Psalmos sibi & suis, cum illorum pia & succincta enarratione, typis excudi fecit: addita sua præfatione qva ad eos legendos & diligenter meditandos illustrissimos & dilectissimos liberos invitat, ipsosq; ut pius Ecclesiastes ad pietatem, Dei timorem, & omnium virtutum studia, exhortatione religiosa excitare conatur. Sicuti etiam antea in hunc usum ex Psalterio, Solomone, Syracidæ, aliisq; sacris libris ipsemet flosculos & sententias selectissimas, doctrina & consolationibus maximè insignes collegerat, & in duos libellos distributas, imprimi cu-
Devt. 6. raverat. Scivit enim mandato divino parentibus injunctum esse, vt verba Legis, filiis suis acuant, Et loqvantur de eis cum sedent domi, cum gradiuntur per viam, cum cubant, cum surgunt &c.

Sicut avtem ipse Deum ejusq; verbum veneratus est & dilexit: Sic etiam verum

Studium pro Religionis conſervatione & propagatione.

verum Dei cultum, puram Evangelij doctrinam & legitimum Sacramentorum uſum, ad alios propagare & conſervare in ſuis regnis, pijſsimo conatu ſtuduit, nihilq; magis habuit in votis, qvam ut majores in hoc lavdis genere vel ſuperaret, vel certè adæqvaret. Avus enim ejus paternus *D. FRIDERICVS* ut ejus nominis primus: ita primus omnium inter Reges puram Religionem, Dei beneficio per D. Lutherum ab Antichriſti Romani fecibus & erroribus repurgatam ſuſcepit: eamq; publicè doceri primum Viburgi in Cymbrica Cherſoneſo, deinde etiam hîc Hafniæ per M. Iohannem Tavſanum Anno 1529. fecit. Cuj pijſsimus noſtri Regis pater *D. CHRISTIANVS III.* ſuccedens, omnes idolatrias, hæreſes, & ſuperſtitiones Antichriſti reliqvas, in horum regnorum eccleſijs funditus extirpavit, & ſuſtulit, & incorruptam Evangelij vocem, & ſacramentorum rectam adminiſtrationem, ſecundum primævam Domini inſtitutionem, in eorum locum reſtituit, ac proponi juſsit. Sicut etiam prophanos iſtos Monachorum ordines omnes, ſive à Dominico, ſive á Franciſco, avt qvocūq; alio denominationem acceperunt, ex ſuis monaſterijs expu-

Fridericus I.

Reformata Religio ſuſcepta.

Chriſtianus III.

expu-

expulit, & impiorum iſtorum idolatrarum ac ventrium bona in meliores uſus convertit, poſtqvam tranqvillas & pacatas in hiſce regnis ſedes annis amplius 320. ſub multorum Regum imperio habuiſſent.

Hæc avi & patris in Religionem ſtudia *FRIDERICVS* ita fœliciter æmulatus eſt, ut utrumq; ſuperaſſe videatur. poſtqvam enim devicta Dithmarſia, amplißimorum procerum, & reliqvorum ordinum Regni conſenſu, in Regem Daniæ & Norrigiæ, hic Hafniæ á M. Nicolao Palladio epiſcopo Scaniæ, in freqventibus comitijs coronatus eſt, omnes animi nervos eo potißimum intendebat, ut doctrina cœleſtis pura, veluti ab optimo parente fuerat recepta, ſine omni innovatione & corruptela in hiſce Regnis ſarta tecta conſervaretur. Qvamobrem cum eccleſiæ Germanicæ & aliorum locorum nocentißimis ſchiſmatis & dißidijs, ob ortas de qvibuſdam articulis Religionis diſputationes ſcinderentur: ille cum amplißimo & prudentißimo Regni Senatu eo conſilio uſus eſt, ut ſuas eccleſias in unanimi concordia pacatas ſemper divino beneficio retinuerit. Neq; unquam à Principibus alijs, ut ut propinqva neceßitudine

Coronatio Friderici, Anno 59. Augu. 20.

Concordia Religionis ſervata.

tudine ipſi devinctis, ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut ſe vel ſuos doctores hujjuſmodi controverſiis immiſceret. Qvinimo editis publicè diplomatis interdixit, ne in ſuis ditionibus moverentur in concionibus avt aliâs controverſæ diſputationes, Cum inſectatione eccleſiarum, qvæ in alijs terris, militant, avt diſtraherentur libri novi & critici de materijs illis, qvarum diſceptatione eccleſiæ tranqvillitas miſerè turbatur & laceratur: Et omnibus ac ſingulis ſeverè demandavit, ut apud ſcripta prophetica & Apoſtolica, & Avguſtanam confeſsionē, qva illorum ſumma breviter comprehenſa eſt, permanerent, ijsq; ſuam doctrinam conformarent, pænas interminatus graviſsimas niſi id fieret. *Anno 74.*

Neq; illud prætereundum eſt qvod tanto amore gloriæ Dei & puræ Religionis propagandæ flagraverit, ut non ſolum in extrema orbis borealis parte Iſlandia, Biblia Sacra in incolarum lingvam tranſlata, maximis impenſis, deſcribi prælo curaverit: ſed etiam cum intelligeret Bibliorum Danicorum omnia exemplaria ita diſtracta eſſe, ut amplius venalia haberi non poſſent, Dominis Profeſsoribus & Paſtoribus Hafnienſibus, demandaverit, vt veterem tranſlationem ad fontes He- *Biblia Iſlandica impreſſa, Anno 84.* *Bib. Danica rurſum edita.*

braicæ

braicæ & Græcæ lingvæ examinarent & revocarent, qvo ita denuo emendatiora in lucem prodirent, qvod etiam brevi futurum ſperamus, Cum opus in Typographia qvotidie nunc ferveat. Hoc ergo ſanctiſsimi Regis nunqvam ſatis lavdato ſtudio effectum eſt, ut omnes Majjeſtatis ipſius ſubditi, nunc Spiritum Sanctum in ſuis lingvis loqventem avdiant, in nominis divini ſummam gloriam, eccleſiæ ædificationem, adeoq; propriam ſalutem.

Qvomodo Deus Friderici pietatj benedixerit.

Geneſ. 12. 15. & 22. Sicut avtem Deus Abrahamo dixit: Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum: Ne timeas ego ſcutum ero tibi, merces tua valde magna, eo qvod obediviſti voci meæ: Sic etiam hanc pietatem Regis noſtri ampliſsima benedictione & præmijs ornavit: ipſe merces &
Pſal. 18. ſcutum, & cornu ſalutis ejjus fuit, eruit eum ab inimico ſuo forti, ab odio haben-
Pſalm. 25. tibus eum. Vias ſuas ſcire eum fecit, ſemi-
Pſalm. 32. tas ſuas docuit eum. Intellectum dedit ipſi, & oſtendit ei viam per qvam ambularet &
Pſal. 144. rexit eum oculo ſuo: Docuit manus ipſius ad prælium, & digitos ejjus ad bellum:
Prov. 19. ſubdidit ipſi populum. Et ſicuti Solomon domum ac divitias hæreditatem patrum eſſe, uxorem avtem prudentem á Deo dari aſſerit: ita qvoq; hac in parte

Dei

Dei clementia erga *D. FRIDERICUM* illuxit. Nam sua providentia ipsi *D.* uxorem dedit vero Dei timore, pudicitia, castitate, Sapientia adeoq; omni virtutum genere ornatissimam, Dominam *SOPHIAM*, de illustrissima Ducum Megapolensium familia natam, Reginam nostram clementissimam. Qvamobrem, ut Solomon ait, confidebat in ea cor viri sui, & haec reddidit *ej* bonum & non malum omnibus diebus vitae suae, fortitudo & decor indumentum *ejjus*, os suum sapienter aperit, & Lex clementiae versatur in lingva *ejjus*. ut de beatissimo Coniugio Sereniss. Principis nostri illud Syracidis meritò dici qveat: Pulchritudo mulieris exhilarat vultum, atq; omnia hominis desideria superat, Si in lingva *ejjus* est comitas, mansvetudo ac sanitas, maritus *ejjus* ex communi hominum numero est eximendus.

Nuptiae D. Friderici & Sophiae celebratae Hafniae Anno 1572. Julij 20.

Prov. 31.

Syrac. 37.

Neq; minima pars benedictionis divinae in Regem & nos omnes Majjestatis ipsius subditos collatae est, qvod non sterile avt infoecundum matrimonium hoc fuerit, sed tale ut in eo completam promissionem datam timentibus Deum, grata mente agnoscere debeamus: uxor tua sicut vitis fructifera in lateribus do- *Psal. 128.*

mus

mus tuæ: filĳ tui ſicut plantationes olea-
rum in circuitu menſæ tuæ. Nam *D. FRI-
DERICVS* plurium liberorum parens
ſolus extitit, qvam omnes Reges ſimul,
qvi nunc in orbe Chriſtiano rerum habe-
Liberi nas moderantur. Peperit ſiqvidem illu-
Regis & eorum indoles eximia. ſtriſsima Regina favſtis ominibus tres fili-
os, & qvatuor filias in qvibus omnibus &
ſingulis, eximio Dei dono, excelſa & ge-
neroſiſsima heroicæ naturæ indoles ita
relucet, ut certiſsima ſpes ſit eos pijſsimi
patris, & lectiſsimæ matris, ac præclariſ-
ſimorum majjorum veſtigia ingreſſuros,
atq; vaſa miſericordiæ divinæ ſingularia,
& ſpeculum ac exemplum omnium Chri-
ſtianarum virtutum futuros, qvemcunq;
ſexum reſpicias.

Sed & illud inter poſtrema bene-
ficia Dei havd reponendum eſt, Qvod
illuſtriſsimus Princeps & Dominus no-
ſter Sereniſsimus *CHRISTIANVS IV.*
D. Christianus 4. electus Anno 84. Vivente adhuc patre, ſummo procerum
& ordinum Regni conſenſu & congratu-
latione Rex deſignatus, & in Sereniſsimi
patris ſucceſſorem electus ſit. Qva in re
immenſa Dei erga nos bonitas conſpici-
tur, quod nos populum ſuum adverſis
2. Mac. 6. caſtigans caſibus, non derelinqvat neq;
miſericordiam ſuam à nobis planè ſubdu-
cat.

cat. Hoc enim non ſolùm facit ad præca-
vendos multos triſtes motus, qvales illi
fuerunt qvi poſt obitum *FRIDERICI*
primi, nullo Rege deſignato, res Danicas
afflixêre, in qvibus etiam peſſum iviſſent,
niſi *IEHOVA* exercituum reliqviſſet *Eſa.* 1.
nobis pavcos ſuperſtites: Sed etiam pa-
ternam Dei erga nos curam, favorem &
providentiam, viva imagine luculenter
depingit. Qvamvis enim ob ingratitu-
dinem noſtram tanto principe hæc regna
privavit: Tamen oculis miſericordiæ no-
ſtras miſerias reſpexit, talemq́; ex eo nobis
filium produxit, de qvo optima ſpes eſt,
qvod patriam, penates, reſq́; omnes nu-
tantes & ancipites omnibus periculis ali-
qvando ſit liberaturus, ejus avxilio qvi
transfert & ſtabilit imperia, & cujus opus *Dan:* 2.
eſt qvod regnant Reges ac juſtè judicant *Prov:* 8.
principes terræ. Nam præter eximia he-
roicæ naturæ, & pietatis ac omnium virtu-
tum indicia, qvæ havd obſcurè in ipſo
emicant, accurata inſtitutione, & educa- *Eph.* 6.
tione, in bonis artibus & eruditione ac
νουθεσίᾳ κυρίου enutritur, ita ut in initijs chri-
ſtianæ Religionis, artium elementis, lati-
na lingva, aliarumq́; rerum optimarum
cognitione, lavdabiles progreſſus fecerit.
Qvemadmodum etiam princeps *VLDE-*

D. Vlderi-cus Friderici Fil. RICVS ĳſdem ſtudĳs non infeliciter imbuitur, & ſumma cum lavde fratrem æmulatur. uterq; enim ad maxima natus videtur, & præclaro ingenio, atq; vi memoriæ

Luc. 2. ſingulari ornatus eſt, & ſapientia, ætate, ac gratia apud Deum & apud homines proficit.

II. Frideri. qvalis in ſubditos fuerit.

Qvæ hactenus commemorata ſunt, utcunq; declarant qvomodo *D. FRIDERICVS* in adminiſtratione Regni ſui erga Deum ſe geſſerit, ejuſq; pietatem cum ſuo præmio ob oculos ponunt, nunc etiam qvalem ſe ſubditis præſtiterit compendioſa oratione indicabimus. Sicut avtem divina Sapientia, univerſam humani generis ſocietatem, triplici ſtatu complexa eſt, Eccleſiaſtico nimirum, Politico & Oeconomico, qvorum gubernatores, rectores, & tutores Chriſtiani Reges & Principes in ſuis imperĳs ac ditionibus conſtituti ſunt à Deo, ut hac ratione Re-

1. Tim. 6. gi Regum, & domino dominantium ſer-

Pſalm. 2. viant in timore, & ad pomæria Regni illius ſpiritualis qvod Evangelĳ ſceptro adminiſtratur, latè proferenda ac propaganda, avxiliatrices manus porrigant: Sic pĳſſimus hîc Princeps qvemq; horum ſtatuum dum rerum potiretur, ornare, & ad optima qvæq; provehere ſtuduit.

Nam

Nam ſtatum Eccleſiaſticum, qvi maximè verſatur circa res divinas, & ea qvæ Religionem, fidem Chriſtianam ac hominum ſalutem, literarumq; ſtudia, ſpectant, eo affectu proſeqvutus eſt, ut ſecundum Dei mandatum, verè fuerit eccleſiæ nutricius (ut & Regina, ejus nutrix) atq; favtor & patronus omnium doctorum & literatorum liberaliſsimus extiterit. Non ſolùm n: eccleſiæ, ejus miniſtris, ac omnibus docentibus & diſcentibus verbum Dei, & artes Chriſtianæ Reipub. utiles, tranqvilla hoſpitia, grataq; halcyonia, intra ſuorum Regnorum limites conceſsit: ſed etiam ſingulari amore & benevolentia eos fovit, divinaq; liberalitate eorum commodis & ſuſtentationi proſpexit. Nam Paſtorum & miniſtrorum verbi ſtipendia avxit, ut eo liberius vocationi & ſtudijs inſervire poſſent, eos in honore habuit, humaniſsimè tractavit, & adverſus qvamvis injuriam clementer defendit, imo ſe eorum Regem appellare, non indecorum judicavit.

D. Friderici merita erga ſtatum eccleſiaſticum.

Eſai. 49.

Academiam qvoq; hanc Regiam à proavo ſuo paterno *CHRISTIANO I.* Sixto pontifice Romano Priuilegia donante, inſtitutam, & à patre *CHRI-*

Academia Hafnienſis fundata Anno 1478.

STIANO III. cum pene collapſa eſſet reſtavratam, Scholasq; omnes particulares tanqvam ſingularia ornamenta horum Regnorum, & Eccleſiæ ſeminaria amplexus eſt, & Regia plane munificentia, adavxit. Novit enim ſapientiſsimus Rex, veriſsimam eſſe illam Callimachi veteris Græcorum Poëtæ picturam, qva de Apollinis capillo ſalutem & incolumitatem Rerumpub. deſtillare finxit, & eas civitates beatas eſſe aſſerit, in qvibus guttæ de vertice ſev capillo Apollinis manantes reciderint, hoc eſt, novit literarum ſtudia, & optimarum doctrinarum culturam & ſcientiam qvæ in Scholis addiſcitur, limpidiſsimum fontem eſſe, ex qvo omnis in terra felicitas, vera Dei noticia, cum Religionis puritate, ſine qva ſalus æterna apprehendi neqvit: artes liberales, ceteraq; ornamenta, & adjumenta humani generis, qvæ hominum vitam, conſilia & actiones utiliter moderantur, in Eccleſias, in politias, & ſingulorum familias, tanqvam viva ſcaturigine demanant ac profluunt. Qvamobrem præter ampliſsima ſtipendiorum ſupplementa, qvibus melior reddita eſt Profeſſorum hujus Academiæ conditio, cum intelligeret ea qvæ prius ipſis eſſent deputata, non ſufficere familiis eorum

Scholarũ utilitas.

rum liberaliter alendis in tanta temporum difficultate, uno die ſexaginta thalerorum millium bona, annuis illorum fructibus, in centum pavperum ſtudioſorum perpetuam ſuſtentationem de ſuo contulit, ordinavit, ſancijt. Qvibus etiam certam pecuniæ vim adjecit, ut inde in exterarum nationum Academijs, quatuor liberalium artium magiſtri ſuſtentarentur. Qvo avditis doctiſsimorum hominum judicijs de reb. grauiſsimis, & variarum lingvarum acqviſita cognitione, tanto majjori cum fructu Eccleſiæ & Rejpub. in patriam reverſi operam locarent. Scholas præterea minores, partim redditibus additis qvibus Scholaſticorum certus numerus in pleriſq; oppidis horum Regnorum alitur, amplificavit: partim novas aperuit, ut
nuper Sorenſe gymnaſium, in qvo Sexa- *Anno 86.*
ginta pueri & adoleſcentes, cum ex nobilitate, tum ex alijs harum Regionum incolis liberè & ingenuè educantur, & ſub diſciplina Magiſtri artium, & trium collegarum, in bonis literis, doctrina cœleſti, ad virtutes aſſvefactione, & morum civilitate, inſtituuntur. Qviſq; perpendat hoc loco ſecum qvanta fuerit hæc Regia liberalitas & benignitas, qvantaq; fructuum ſeges inde in Rempublicam ſeſe effun-

dat. Nam hinc Religio & cultus Dei conſervatores ac defenſores, eccleſiæ ac ſcholæ Doctores egregios, politia prudentiſsimos gubernatores, viroſq; qvi doctrina, ſcriptis, conſiliis, & oratione, res utiles ac neceſſarias gerere, ac maximi momenti negotia expedire poſſunt, divino qvodam beneficio ſortitur.

D. Friderici merita erga politiam.

Ierem. 21. *&* 22.

Nunc oratio ad ſtatum politicum ſe convertit, in qvo ſe ita Rex noſter geſſit, ut optimi, Sapientiſsimi, æqviſsimi, omnibuſq; virtutibus præſtantiſsimi herois laudes & nomen reportaverit. Nam ſecundum divina præcepta juſticiam & judicium fecit. juſticiam qvidem erga bonos & innocentes eos defendendo, & præmiis virtutum conferendo. Siqvidem liberavit oppreſſum de manu opprimentis, advenam & pupillum non defraudavit, nec rapuit, nec ſangvinem innocentem effudit: ſed ad laudem ac hono-

Roma. 13.

rem rectè agentium gladium ſibi à Deo traditum uſurpavit. Nam eos qvos intellexit honeſtam vitam degere, & in officio fidelitatem ac diligentiam adhibere, amore proſeqvutus eſt, & ad majora provexit: qvemadmodum etiam benemeritos de Repub. cujuſcunq; fuerunt conditionis, præmiis ornavit. judicium vero exer-

cuit

cuit adversus nocentes ac maleficos, qvi in Deum impia, & proximum iniqva ac nefaria designarunt, ut impios tanqvam Rex sapiens disperserit, & super eos rotam reduxerit, atq; terrori malis operibus fuerit, & minister Dei ad iram ĳs qvi qvod malum est fecerant. Nunqvam tamen ipsius consensu aliqvis civiliter vel criminaliter punitus est, nisi cavssa in judiciario foro probè disceptata & examinata, & secundum tenorem legum, reus convictus & damnatus esset. Iudicĳs sæpissimè præfuit, & controversias motas, ac cavssas oblatas ex honestarum legum, qvæ cum lege divina & naturæ consentiunt, præscripto diremit, & sententiam pronunciavit, servata tamen earum moderatione, ubi fieri potuit, & tentata prius in controversiis dirimendis, partium dissidentium amica reconciliatione, qvæ si obtineri potuit, non libenter ad legis extremum rigorem procurrebat, præsertim cum de litigantium fama & existimatione ageretur. Legibus qvoq; ipse paruit verissimum illud Clavdiani agnoscens.

Animadversio in sontes.

Prov. 20.
Roma. 13.

Forenses actiones, & juris administratio.

In commune jubes si qvid, censesq; tenendum,

Primus juſſa ſubi. Tunc obſervantior æqvi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Avctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Vtq; ducum lituos ſic mores caſtra ſeqvuntur.

Sicut avtem ipſe *j*uſticiæ & æqvitatis obſervantiſsimus fuit: ſic etiam voluit ſuos præſides, officiarios, magiſtratus inferiores & *j*udices omnes ad e*jj*us normam æqva lance omnia ponderare, & decernere, atq; ſemper ob oculos ſibi ponere graviſsimam Ioſaphati orationem ad ſuos *j*udices: ut nimirum viderent qvid
2. Pa. 19. facerent, cum non pro homine ſed Deo *j*udicium exerceant, & ipſe cum illis in *j*udiciį negotio ſit. Qvamobrem par eſſe ſenſit ut *IEHOVÆ* timorem induentes cuſtodirent & facerent *j*uſta & mandatis e*j*-*j*us conſona. Cum non ſit in eo iniqvitas, nec acceptio perſonarum, neq; acceptio

mu-

muneris. Qvò avtem hæc ſedulitate & fidelitate majjori præſtarent, ad id promittendum juramento Sereniſsimus Rex ſibi obligabat eos qvibus magiſtratus munia, Regniq; provinciæ eſſent committendæ. Qva ſancta ſedulitate & ſolicitudine effectum eſt, ut leges neceſſarias & bonas, politiam & judicia optimè conſtituta habuerimus: Et populus adductus ſit ad juſticiam, & judicatus in æqvitate, pavperes ſervati ac calumniatores oppreſsi, Chriſtiana diſciplina, morumq; honeſtas conſervata, qvantum qvidem vitioſitas naturæ noſtræ, & corruptum hoc ſeculum patitur.

Pſal. 72.

Induſtria in faciendis & comparandis q̃ ad Regnorum dignitatem pertinent.

Qvanta avtem fide, prudentia & induſtria uſus ſit in tuendis, defendendis, & amplificandis illis, qvæ ad coronam Danicam & Regnorum dignitatem, honores & emolumenta ſpectant, nullis elogijs ſatis exprimi poteſt, præſertim in hac temporis anguſtia. illud tamen conſpicuum vel inde eſt, qvod veterem iſtam controverſiam de jure Regni in ducatum Sleſvicenſem, inter Daniæ Reges & Nordalbingiæ ſive Holſatiæ Principes annis amplius 476. agitatam, amica compoſitione & tractatione eò deduxerit, Dei providentia feliciter aſpirante conatibus, ut *IOHANNES* & *ADOLPHVS* illu-

ſtriſsimi Holſatiæ Duces & Regis patrui, Othoniæ in publicis comitijs, ſolenni ritu & pompa ducatus Sleſvicenſis fevdum, debito præſtito homagio, & juramento de ſua atq; poſterorum fide & obedientia erga *FRIDERICVM* & ſucceſsuros Reges, ab eo acceperint. Qvod antea armis & multo ſangvine à potentiſsimis Regibus qvæſitum obtineri non potuit. ita omni rei eſt tempus determinatum & omni voluntati tempus eſt ſub cœlo: cunctiſq; ſuæ metæ divina providentia præfixæ, ut non ſit humani conſilij avt prudentiæ, momenta à Deo conſtituta antevertere. In eundem finem ſplendidiſsima legatio in Scotiam miſsa pro redimendis Orcadibus, quæ à *CHRISTIANO* primo ante ſeculum *IACOBO* Tertio dotis nomine oppignoratæ fuerunt, cum elocaſſet ej filiam *MARGARETAM*, in matrimonium.

Anno 80 — *Ecclesi. 3.* — *Anno 85.* — *Nuptiæ celebratæ in Scotia, Anno 1470. die Iul. 10*

III. — *Friderici merita in ſtatũ œconomicum.*

Ad ſtatum Oeconomicum, in qvo ſubditos complectimur, qvi in acqvirendis vitæ neceſsarijs, victu & amictu, pro ſe & ſuis familijs alendis, occupantur, atq; œconomica tractant, nunc progrediendum eſt, ut qvæ beneficia in illum *FRIDERICI* imperio ſint collata, qvalisq; in eum fuerit, pavcis exemplis propoſitis, colli-

colligamus. Hîc qvod de *AVGVSTO* Imperatore Tertullianus commemorat, illum non voluiſſe dominum ſed patrem appellari, qvod illud ſit poteſtatis nomen, hoc pietatis, multo melius in hunc noſtrum Regem competit. Nam verè paternum animum erga omnium ordinum ſubditos fovit, omnibus bonis ſe mitem, æqvum ac clementem defenſorem præbens, ut viva imagine id qvod Poëta regibus ſuadet, in ſuis actionibus expreſſerit:

Tu civem patremq́ geras. Tu conſule cunctis,
Nec tibi: nec tua te moveant, ſed publica vota.

Non rapuit civium poſſeſsiones injuſtè, neq́ non neceſsariĳs & intolerabilibus oneribus & vectigalibus ipſos oppreſsit, boni paſtoris tondere non deglubere oves exiſtimans: Sed ſingulis qvod juſtum erat & legibus conforme tribuendum judicavit. Qvilibet licitis artibus, mediĳs, contractibus, mercatura, agricultura, opificĳs mæchanicis & manuariĳs, aliĳsq́ honeſtis rationibus potuit victum & amictum, vitæq́ ſuſtentationi neceſsaria, in urbibus & pagis, terra & mari, in ejus ditionibus qværere. Negotia ſua omnes exercebant, in pace & tranqvillitate, á rapinis & tyrannicis expilationibus & oppreſsionibus, nul-

lus

lus metus, nulla injuria. Breviter sub ejjus
1. Tim. 2. imperio licebat cunctis qvietam & tranqvillam vitam cum omni pietate & honestate degere. Sicut enim à pace nominis etymon duxit: sic etiam reipsa pacificus erat, & á bello Svetico, qvod peccatis utriusq; gentis Deum ad vindictam provocantibus, Anno 1563. exarsit, integrumq; duravit octennium, in pulcherrima & florentissima pace Regnorum suorum habenas moderabatur, neq; in Martis discrimina suos ciues conjjciebat.

Liberalitas in egenos. Hujjus paterni Regis animi in subditos & statum œconomicum, insigne qvoq; argumentum suppeditat, admiranda ipsius beneficentia & liberalitas in pavperes & egenos. Non solum enim amplissima bona Nosocomῆs pro eis alendis passim largitus est: Sed etiam ante annos aliqvot, unâ cum qvibusdam
Anno 74. alῆs præclarissimis viris, Rejpub. hujjus urbis decem Thalerorum millia, in annuos reditus donavit, qvibus binis in anno vicibus honestæ familiæ ad pavpertatem, fortunæ injuria redactæ, liberaliter foventur & juvantur. Sicut etiam aliâs sæpè in egenos amplas eleemosinas distribui fecit, per Regni oppida. imo fontes ejjus,
Prov. 5. non tantum secundum Solomonis præceptum

ptum derivati ſunt foras & in plateas, ſed etiam in exteras nationes, ubi plurimi de Regia munificentia opem & levamen gratiſsimum ſenſerunt. Miſeris qvoq; colonis annua vectigalia & tributa, qvando ſolvendo non erant, clementer remiſit. Inſtar patris erat pupillis, & loco viri *Syra. 4.* matri illorum: præbebat avrem ſuam pavperi ſine ulla offenſione, & qvæ ſunt amica reſpondebat cum manſvetudine.

Qvin etiam in ſua œconomia & *Avla bene inſtituta.* avlæ adminiſtratione diſciplinam & mentem illam ſtudioſè eum ſervaſſe, qvam David ſibi in uſu fuiſſe canit, plurimis eſt notiſsimum. Cor enim pravum voluit à ſe *Pſal. 101.* recedere, malum non agnovit. Detrahentem occultè proximo ſuccidit, vel ad minimùm admonuit, ne qvid præter veritatem in abſentes diceret, qvod iis præſentibus fateri non avderet, ſe enim qvam primò ad eos veniret, ipſis qvæ loqveretur ſignificaturum, grande ſupercilium & elatum corde non poterat ferre. Oculi ipſius ad fideles terræ, ut ſederent cum eo: Ambulantes in via perfecta voluit ſibi miniſtrare: dolum avtem facientes in medio domus ſuæ habitare vetuit, & mendacia loqvens non firmatus eſt coram oculis ipſius. Sicut ſtatim initio imperii hunc

Pſal.

Psalmum Ecclesiastæ sui enarrationibus explicatum, in hos usus à Typographo imprimi fecerat.

Hac tam clementi, justa, bona & pacifica Regnorum gubernatione id vicissim consecutus est, ut omnes ejus avthoritatem suspexerint & magnifecerint: inimici eum metuerint: Amici & subditi eum venerati, ac summa fide & benevolentia sint complexi & tanqvam parentem intimè dilexerint. Qva de re ipse sibi gratulari solitus est, in hunc sensum verba faciens: Novimus magnos Principes qvi ferè nunqvam in venationem ad figendas feras proficiscuntur, nisi magna vis eqvitum armatorum eos circumcingat & stipet, tantopere suorum metu aguntur: at meo imperio subjecti, in me, qvemadmodum & ego in ipsos, longe alia sunt animi affectione. Nullus enim inter ipsos est, cuj vel nocte itineris comitem me adjungere solitarium non avsim: atq; si necessitas postularet in ejus sinu somnum capere. Vox certè Rege magnanimo & sibi nullius rei malè conscio dignissima. Nam qvi ita aliis præsunt, ut ab omnibus metuantur, necesse habent & ab omnibus sibi metuere: Neq; tutum est, ut Seneca ait, illi Regem esse á qvo nihil est tutum. Sed

miseri-

misericordia & veritas custodiunt Re- *Prov. 20.*
gem, & misericordia stabilitur Thronus *& 29.*
ejjus, & si in veritate pavperes judicat fir-
mabitur in æternum.

Nemo tamen dum verissimis hisce lavdibus illustrissimum principem defunctum ornamus, nos eum à communi existimet mortalium sorte eximere, qvasi omnino ἀναμάρτητος fuerit, avt angelica qvadam perfectione & puritate præditus.
Non est enim justus in terris qvi benefa- *Eccles. 7.*
ciens non peccet. Qvis potest dicere *Prov. 20.*
mundavi cor meum? & purus sum à de-
licto? ecce inter sanctos Dei nemo est fide- *Iob. 15.*
lis, & cœli non sunt mundi in conspectu
ejjus, qvanto magis abominabilis & inuti-
lis homo? qvi bibit iniqvitatem veluti a- *Errata summorum vi*
qvam. Nonne David qvi hoc elogio in- *rorum.*
signitus est qvod fuerit vir secundum cor
Dei, horribiliter adulterio & homicidio *2. Sam. 11.*
se contaminavit? Nonne Iosaphatū, Eze-
chiam & Iosiam, piissimos Reges, qvi De-
um qvæsivisse ex toto corde in scripturis *1. Reg. 22.*
leguntur, atq; fecisse qvod rectum erat in *2. Par. 32*
oculis Domini, tamen graviter lapsos esse, *2. Par. 35.*
in historiis sacris memoriæ proditum est?
Non itaq; mirum est nostrum Regem suos nævos & errata habuisse, qvæ partim ex infirmitate humana, partim ex temporum

con-

conſvetudine, & hominum moribus or-
Pſal. 32. tum duxerunt: pro his tamen unâ cum
omnibus ſanctis ad Deum oravit tempore
opportuno, ut in inundatione aqvarum
multarum ad eum non pertingerent: Con-
feſsus eſt adverſum ſe prævaricationes ſu-
as *IEHOVÆ*: ideo ex bonitate & miſe-
ricordia divina, ipſi ut reliqvis ſanctis Re-
gibus & omnibus fidelibus dimiſsa eſt ini-
qvitas, & tectum peccatum. Proinde &
Geneſ. 9. nos ad exemplum Sem & Iaphet, de cujus
progenie deſcendimus, patris patriæ no-
ſtræ errores operiamus, nec Chami dege-
neris factum imitemur, qvi patris ſui tur-
pitudinem non contexit ſed propalavit,
ut illorum benedictionis participes red-
damur: hujus verò maledictionem evi-
temus.

Vitæ exitus. Verùm ad Regis noſtri è mundo
exitum, & temporis & inſtituti noſtri ra-
tio nunc vocat, qvi vitæ anteactæ ſimilli-
mus fuit. Nam ut in ea ſingularis pietas,
Dei timor, ingenij moderatio & pacis ſtu-
dium reluxit: ita etiam pijſsimè & placi-
diſsimè diem ſuum obijt. Poſtqvam enim
ſua præſentia honoraſſet ſolennitatem nu-
Anno 88. ptiarum Ducis *IOHANNIS* germani
14. Februarij. ſui & *HAGNETÆ HEDWIGIS*, vi-
duæ *AVGVSTI* Electoris Synderburgi
cele-

celebratam: humaniſsimè invitauit principes qvi ibi congregati erant Hatterſlebium, ubi cum intellexiſſet *D. GEORGIVM* principem Anhaltinum, & *D. DOROTHEAM* Mansfeldicam deſponſatos eſſe, ſuis ſumptibus magnifico & Regio apparatu, eorum nuptias dignitatis & concordiæ plenas celebrari cura- *21. Februarij.*
vit. Interea vero dum hæc gererentur: Rex adverſa uſus eſt valetudine, ut convivijs rarius intereſſe potuerit. Qvamobrem principibus peregrinis amantiſsimè dimiſsis, *D.D. PHILIPPO* Brunſvicenſi & *CHRISTIANO* Anhaltino exceptis, cum hiſce in Sælandiam iter inſtituit, ut loci aërisq; mutatione langventes vires reficeret, ac recolligeret. Sed eventus, proh dolor, contrarius extitit, Nam ut infirmitas & ægritudo in itinere pavlatim majjora incrementa ſumebat: ita poſtqvam Antuorſchoviam hujjus terræ arcem per- *6. Martij.*
venit, tantopere ingraveſcebat, ut corporis viribus magis magisq; deficientibus lecto decumbere ſit coactus.

Sicut avtem Syracidis graviſsima *Syrac. 38.*
& pia eſt ſententia qva ſuadet: Fili ne prætermittas in morbo tuo qvin Deum ores, & ipſe ſanabit te: Recede à delicto, & manum dirige, atq; ab omni peccato cor

emunda, Deinde medico locum des, ut cujus creator Deus est, nec discedat abs te qvoniam ipsius ope indiges: ita Serenissimus Rex ejus consilio in suo morbo piè obsecutus est. Nam agnovit & viva voce confessus est Deum justum esse & recta ip-
Psal. 119. sius judicia, seqve meritò ob sua peccata castigari: atq; propterea se patienter laturum paternam ejus crucem, qvam sciret
1. Cor. 11. in sua commoda & bonum sibi impositam ne cum mundo periret. Deinde, qvemadmodum Symbolum qvo ejus majestas usa est, habet: *SPES MEA IN SOLUM DEUM REPOSITA EST*: Mit Haab til Gud allene. ita firma fiducia in misericordiam Dei & Mediatorem suum *IESUM CHRISTUM* recumbebat, Deumq; ardentissimis gemitibus precabatur de peccatorum (qvæ omnis mali qvo genus humanum premitur fons & origo sunt) venia, & morbi mitigatione ac sanitatis restitutione, si paternæ ipsius voluntati hoc non displiceret. Neq; solus in istis precibus fuit: Sed etiam publica Ecclesiæ oratione se Deo commendari & idem pro se peti voluit, qvod etiam sedulo factum est. Adhibuit qvoq; Medici consilium, & pharmacis iis usus est libenti animo, qvantum langven-
tis

tis corporis imbecillior conſtitutio fere-
bat, qvibus ſperabatur morbi violentia
tolli poſſe. Neq; irrito planè conatu hæc
omnia fiebant. Nam Dei avxilio ea facta
eſt morbi remiſsio, ut non dubiam ſpem
omnes conceperint de valetudine recu-
peranda, & longiori ipſius vita. Qvam-
obrem & ipſe dulciſsimæ conjugj, Regi- *D. Regi-*
næ noſtræ clementiſsimæ injunxit, ut ite- *na Hatter*
rum Hatterſlebium profecta, chariſsimos *ſlebium i-*
liberos juniores principes ibi relictos, qva *ter inſtitu*
fieri poſſet feſtinatione adduceret. *it.*

Cum avtem iter ingreſſa Regina
eſſet, novis incrementis morbus adavctus,
tanta vehementia recurrit: ut Spes illa ſa-
nitatis & longioris vitæ prius concepta,
omnino conciderit. Qvod piiſsimus Rex *29. Martij*
& ipſe ſentiens, & ex Medico intelligens,
toto corde ſe præparavit cum ad Cœnæ
Dominicæ uſum, tum etiam mortem. Edi-
ta igitur in privato cum Paſtore collo-
qvio, verè Chriſtiana confeſsione de pec- *3. April.*
cato, de gratia Dei recipientis peccatores,
deq; ſibi propoſita emendatione & in De-
um gratitudine, ſi vitæ prorogaretur ter-
minus: atq; ardentiſsimis precibus de re-
miſsione peccatorum ad cœleſtem patrem
fuſis, ſe ad Deum convertebat & ad gra-
tiæ Thronum confugiebat, ac devoto

animo Sacramento Corporis & Sangvinis
Roma. 4. Domini nostri *IESV CHRISTI*, in
obsignaculum *justiciæ* fide*j*, ei*j*usdemq;
confirmationem, & indubitatum pignus
gratiæ divinæ & condonationis prævari-
cationum, animam refecit, *j*udicans illud
Cyprianus revera immortalitatis cibum, & Arrhabo-
& Dama nem futuræ vitæ ac felicitatis esse. Hoc
scenus. tempore etiam Regina revocata, sub ho-
ram noctis decimam rediit, itinere non
minus periculoso qvam difficili terra ma-
4. *April.* riq; confecto. Seqventi die qva memo-
riam hu*j*us Cœnæ Sacratissimæ celebrat
Ecclesia, Concio in cubiculo habita est,
in qva Rex enarrari *j*usserat avreum &
consolatione plenissimum hoc Christi di-
Iohan. 3. ctum: Sic Deus dilexit mundum, ut fili-
um suum unigenitum daret, ut omnis qvi
credit in eum non pereat sed habeat vi-
tam æternam. Qva Sententia sicut & aliis
plurimis ex verbo Dei petitis, præsertim
tamen Psalmo 25. & 103. qvos elegerat, &
se ipsum erexit toto morbi tempore, & ab
aliis consolatus est. Circa qvartam po-
meridianam e*j*usdem diei præeunte mini-
stro orationem Dominicam dixit: & sin-
gulari attentione recitationem horum
Psal. 103. verborum Psalmi avscultavit: Miseri-
cors & clemens *IEHOVA*, tardus ira,
&

& multus misericordia. Non in seculum contendit, nec in perpetuum servat iram. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniqvitates nostras retribuit nobis. ut miseretur pater filiorum, miseretur *IEHOVA* timentium se. Qva finita voce perspicua & firma subjecit: Verum est, verum est. Qvæ postrema erat ipsius fidej confessio, qvam in terris edidit. Pavlò enim post, cum iuxta suam petitionem è lecto levaretur, in leipothymiam incidit, in qva cum acclamaretur ipsi á Pastore Psalmi versus: In manus tuas, Domine, commendo Spiri- *Psal.* 35.
tum meum, redemisti me, Domine, Deus veritatis, & recitatio orationis Dominicæ inciperetur, placidè in vera fide & Dei invocatione tribus circiter ductis suspiriјs obdormivit, Cum vixisset annos 53. Menses 9. dies 4. Regnum vero gubernasset annis 29. ferè, relicto post se immenso desiderio, & luctu non solum apud illustrissimam Reginam suosq; liberos, sed etiam omnes horum Regnorum ordines, plurimosq; alios in orbe Christiano. habet itaq; ipse nunc præmium illud qvod pijs Regibus & Doctoribus ex ore Dei Daniel pollicetur dicens: intelligentes fulgebunt, ut splendor firmamenti, & justifi-

cantes multos tanqvam ſtellæ in ſeculum & in æternum: atq; (ut Abigail Davidi
1. *Sam.* 25 ait) ligata eſt anima Domini noſtri in faſciculo vitæ cum *IEHOVA* Deo ſuo: ut ἐπινίκιον & Epicedion illud fidelium qvod in Apocalypſi extat de eo canere
Apoc. 14. poſsimus: Beati mortui qvi in Domino moriuntur: Etiam dicit Spiritus, qvoniam reqvieſcunt à laboribus ſuis, opera eorum ſeqvuntur eos. Atq; huc uſq; ea qvæ de Hiſtoria vitæ, gubernationis & mortis nos dicturos pro temporis anguſtia promiſimus, nunc ad reliqva tranſeamus.

DE SECVNDO.

PRophetia qvam ex Eſaiæ 57. Capite recitavimus, concinnè hujc luctuoſo tempori, & lugubri hujjus Concionis materiæ reſpondet & convenit. Nam qvid in piorum, taliumq; excellentiſſimorum Heroum emigratione ex hac mortalitate perpendendum & cogitandum ſit, luculenter commonſtrat. Siqvidem in ea duæ partes potiſsimum continentur & pertractantur.

I. Qverela Prophetæ de mundi & impiorum ſecuritate, cæcitate, & ſtupiditate, qva juſtorum mortem & interitum,

ritum, negligunt contemnunt, neqve ita æſtimant ut oportebant.

II. Cavſſæ qvare Deus pios ſæpe avferat, & qvam beatæ ac felices ſint eorum poſt mortem conditiones

DE PRIMA.

Iuſtus perit &c.



VBerioris doctrinæ & intellectus gratia conſiderandum nobis in hoc Verſu primum, de qvorum morte & interitu Propheta agat. Secundo, ejjus qverela de mundo & impĳs exponenda.

De Primo ipſe ait: *juſtus perit,* hoc eſt: avt naturali & placida morte diem ſuum obit, mundoq; perire videtur, avt impiorum perſecutione violenter è medio tollitur, qvod voce *Abad* Eſaias indicare fortaſsis voluit. Hæc n: plerumqve violenter perire & interfici ſignificat. Vocantur avtem juſti, pĳ, religioſi & Deum timentes, & multarum virtutum ornamentis excellentes, Principes, Magiſtratus, avt Doctores, & viri in Chriſtiana Republica utiles, qvi fiduciam non in ſuis meritis, operibus, avt dignitate, Sed

I. Mēbrum hujjus loci

in solius Domini misericordia & Redemptoris λύτρῳ collocant, Deumq; ob id sibi placatum & propitium statuunt, Qvibusqve remissæ sunt iniqvitates & tecta peccata, fideq; imputata obedientia & Iusticia Christi, Qviq; serviunt Deo in sanctitate & justicia omnibus diebus vitæ suæ, Atq; alios ad justiciæ studium, Exemplo, doctrina & legibus invitant, exhortantur atq; adducunt.

Psal. 32.

Lucæ. 1.

Iusticia duplex.

Est n: duplex justicia, qva in sacris literis homines justi appellantur. Prior est justicia fidej, qvæ non in operum nostrorum meritis consistit, sed in filij Dei obedientia, qva legem perfectè implevit, Qvæ ex gratuita Dei misericordia credentibus in justiciam imputatur, condonatis ipsis peccatorum offensis & reatu, & acceptatis ad vitam æternam, propter eundem filium Dei fide apprehensum. Hæc est justicia illa qva coram tribunali Dei absolvimur & consistere possumus. Qvēadmodum Apostolus tradit inqviens: justificantur gratis ejus gratia, per redemptionem factam per *CHRISTVM IESVM*, qvem proposuit Deus placamen per fidem in Sangvine ipsius, ad declarandam justiciam suam per remissionem præcedentium peccatorum &c. Et postea:

Roman. 3.

ej qvi

ej qvi non operatur, ſed qvi credit in eum qvi *juſtificat* impium, imputatur fides ſua ad *juſticiam* Sicut n: per contumaciam unius hominis (Adami) peccatores conſtituti ſunt multi: Ita per obedientiam unius (Chriſti) *juſti* conſtituentur multi. Nam qvemadmodum Iacob primogenituram à ſeipſo non meritus, habitu fratris occultatus, *ej*usq; veſte indutus, qvæ optimum odorem ſpirabat, ſeipſum inſinuavit patri, ut ſuo commodo ſub aliena Perſona benedictionem acciperet: Ita nos ſub Chriſti primogeniti fratris noſtri, pretioſa puritate & obedientia fide appræhenſa, qvæ odor bonæ fragrantiæ eſt in qva Deo complacuit, deliteſcere oportet, ut teſtimonium *juſticiæ* à conſpectu Dei & benedictionem Abrahæ promiſſam referamus.

Roma. 4.

Rom. 5.

Ambroſi. lib. 2. de Iacob. & vita beata.

Altera *juſticia* qvæ ex fide naſcitur, & *juſticia* bonæ conſcientiæ havd incommodè dici poteſt, eſt veluti fructus & teſtimonium fide*j* noſtræ ac *juſticiæ* à Deo nobis imputatæ, qva Deo obedire & ſervire, ſecundum normam mandatorum ipſius, & omnia delicta pugnantia cum lege Divina vitare ſtudemus, militantes bonam militiam, & retinentes fidem ac bonam conſcientiam, veræq; dilectio-

1. Timo. 1.

nis opera proximo exhibentis. unde Propheta veluti per interpretationem, qvinam ſint qvos *juſtos* vocavit exponens addit: *Viri miſericordiæ colliguntur*, hoc eſt, Miſericordes, benigni & benefici homines, qvi fidem & *juſticiam* ſuam, beneficentia, miſericordia, & dilectione erga omnes teſtantur. Hanc *juſticiam* ut Domi-
Math. 5. nus à nobis reqvirit cum ait: Sic ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, glorificentq́ꝫ patrem veſtrum qvi eſt in cœlis: ita qvi eam non poſsident, etiam priore illa carent, & tanqvam hypochritæ & prophani à regno Dei arcentur & excluduntur. Non enim
Math .7. omnis, ait, Veritas, qvi dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qvi facit voluntatem patris mei qvi in cœlis eſt, ĳs verò qvi hanc non fecerint pavlo poſt ſe dicturum minatur: nunqvam novi vos, abſcedite à me omnes qvi operamini iniqvitatem.

Vt avtem qvæ hactenus tradita ſunt, noſtro uſui & inſtructioni magis inſerviant, colligenda nobis hinc ſunt doctrina, Conſolatio & admonitio.

I. *DOCTRINA* eſt qvod nemo coram Deo *juſtus* ſit propria *juſticia* avt operibus Legis, Qvemadmodnm Pavlus docet

docet inqviens: Ex operibus legis nulla *Roman. 3.*
caro *j*uſtificabitur in conſpectu e*jj*us: ſed
aliena, nimirum Chriſti, qvæ eſt perfecta
Legis impletio à Chriſto qvidem facta,
ſed nobis credentibus gratuitò donata &
imputata. Sumus n: nos *j*uſti ad eum mo-
dum coram Deo, qvo Chriſtus peccator
fuit. Nam is ut Perſonam noſtram ſuſti-
nuit, cavſſamq; ſuſcepit qvo ipſi crimina
noſtra imputarentur & reus noſtro nomi-
ne fieret, ac tanqvam peccator *j*udicare-
tur, non ob propria ſed aliena delicta
(cum peccatum non fecerit, nec ſit inven-
tus dolus in ore e*jj*us, purusq; ac mundus *1. Petri. 1.*
omnis culpæ expers extiterit) pœnasq;
ſubiret nobis non ſibi debitas: Ita *j*uſti
nunc ſumus in ipſo, non qvalitate ali-
qva in nobis hærente, vel actione á nobis
profectâ qvaſi operibus noſtris ſatisfaci-
amus *j*udicio Dei, ſed imputatione. Qvo-
niam cenſemur *j*uſti Chriſti *j*uſticiâ qvam
fide induimus, Illud eſt qvod Scriptura
aſſerit: Eum qvi non novit peccatum fe- *2. Cor. 5.*
cit peccatum, ut nos fieremus *j*uſticia Dei
in eo, id eſt Chriſtus qvi planè ἀναμάρτητος
& omnis criminis expers fuit, factus eſt
peccatum ſive petcator pro nobis, nempe
ex omnium noſtrorum ſcelerum reatu,
ipſi imputato, ut nos fieremus *j*uſti apud
Deum

Deum ejjus justicia. unde Augustinus: nostra delicta sua delicta fecit, ut suam justiciam nostram faceret.

Deinde & hoc ex præcedentibus discimus, qvod ut gratuitò sine omni nostro merito justificamur, ex solâ Dei gratia: ita fides unicum illud medium sive instrumentum est qvo justiciam hanc qvæ coram Deo valet, conseqvimur & appræhendimus, veluti Apostolus utrunq; conjungit, scribens: Gratia estis servati per fidem, idq; non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne qvis glorietur. Et, scimus non justificari hominem ex operibus Legis sed per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credimus, ut justificaremur ex fide Christi & non ex operibus Legis, propterea qvod non justificabitur ex operibus legis ulla caro.

Ephes. 2. *Galat. 2.*

II. CONSOLATIONEM qvoq; suppeditant hæc nobis uberrimam, adversus peccatorum nostrorum gravitatem & multitudinem, & indignitatis propriæ horrores. Qvid enim, inqvit Bernhardus, potest esse omnis justicia nostra coram Deo? Nonne juxta Prophetam velut pannus menstruatæ reputabitur? & si districtè judicetur injusta invenietur omnis justicia nostra & minus habens?

Oratio: 1. omniū sāctorum. *Esai. 64.*

Qvid

Qvid ergo de peccatis erit, qvando ne ipſa qvidem pro ſe poterit reſpondere juſticia? Cum itaq; hac de cavſſa fremit orbis & orcus, premit corpus, ira Divina minatur, Diabolus inſidiatur, Conſcientia turbatur, cogitemus Spiritum Sanctum nihilominus nos credentes juſtos pronunciare apud Prophetam, hoc eſt, abſolutos à peccato, ornatos juſticia qva juſti revera ſumus & cenſemur, adeoq; Deo acceptos & dilectos in dilecto, atq; in filios ad vitæ hæreditatem adoptatos. Hæc enim tria neceſſario reqviruntur, ut aliqvis juſtus ſit coram Deo. Cogitemus qvoq; hæc tam immenſa beneficia, nullis noſtris operibus, meritis avt dignitate comparari: Sed indignos ac gratis nos ſervari & juſtificari per *Roma. 3.*
redemptionem factam per Chriſtum Ieſum ex merâ Dei gratia, qvæ ibi ſuperabundavit ubi avctum eſt peccatum, modò fide *Roma. 5.*
firmâ miſericordiam divinam & Mediatorem noſtrum amplectamur. Siqvidem hæc omnia locupletiſsima documenta ſunt, juſticiæ donum, & ſalutis hæreditatem, non pro meritorum avt dignitatis indignitatisve ratione diſtribui, Sed gratuitò omnia per fidem dari, nulliusq; tam atrocia & enormia eſſe delicta, qvin (apoſtolo teſte) *Heb. 4.*
ſi cum fiducia ad thronum gratiæ accedat,

con-

conseqvatur misericordiam, & gratiam inveniat ad opportunum avxilium.

Nevtiqvam igitur tibi ob indignitatis tuæ magnitudinem, avt scelerum enormitatem cum Caino de venia desperandum, sed potius in fide cum Bernardo dicendum statuas: Meum meritum miseratio Domini: non planè sum meriti inops, qvamdiu ille non fuerit inops miserationum. Qvod si misericordiæ Domini multæ, multus ego peræqvè sum in meritis. Qvid enim si multorum mihi conscius sim delictorum, nempe ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia. Et, si misericordiæ Domini ab æterno usq; in æternum, ego qvoq; misericordias Domini in æternum cantabo: Nunqvid *justicias* meas? Domine memorabor *justiciæ* tuæ solius, ipsa enim est & mea, nempe factus es mihi tu *justicia* à Deo. Proptetea obnixè cum propheta clamantes: Non intres in *judicium* cum servo tuo Domine, totâ humilitate ad misericordiam recurramus, qvæ sola potest salvare animas nostras.

Sup cant: Serm. 61.

Thren: 3.

Rom. 5.

Psal. 103.

Psal. 70.

1. Corin. 1.

Bernhar. orat. 1. omnium Sanctorum.

Psal. 143.

III.

ADMONEMVR præterea ex priorum tractatu ad salutem & *justiciam* conseqvendam non suffiicere, qvòd qvis in externo Ecclesiæ cœtu degat, avt de historicâ fide & noticiâ, glorietur, vel sancta-

ctita-

ctitatem & Curios ſimulet, cùm tamen Bacchanalia vivat, carniſq; libidini ad qvævis vitia & flagitia perpetranda, obſeqvium, Deo vero nullam obedientiam, nullum timorem, nec proximo veræ dilectionis officia præſtet. Siqvidem viva & ſalutaris fides qvâ ſolâ *juſtificamur* & ſalvamur, novæ obedientiæ ſtudio, *juſticia*q; bonæ conſcientiæ non magis carere poteſt, qvam ignis calore, vel ſol lumine. Nam arbor bona, bonos fructus profert, *Matth.* 7. putris verò arbor malos fructus gignit. Qvamobrem divus Iacobus ſcribit: oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & *Iacob.* 2. ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam. Nam fides per charitatem ita ſemper operatur, ut Deum ſuper omnia diligat, & rectâ pietate colat: proximum ſyncerâ dilectione complectatur, divina ſtudioſè ſervet & faciat mandata: omnibuſq; illis reſiſtat ſummo conatu, qvæ Dei voluntati & gloriæ adverſantur, ut ſunt, Diabolus, peccatum & omnis generis impietates, qvibus Satanæ regnum promovetur in mundo. unde concludere licet, ibi nullam eſſe veram avt *juſtificantem* fidem, ubi in vitæ actionibus & moribus, nulli hujuſmodi fructus conſpiciuntur. Qvæ enim utilitas, fratres mei, ait Apoſtolus, Si fi-

Galat. 5.

dem

Iacob. 2. dem dicat aliqvis ſe habere, opera verò non habeat, num poteſt fides illa eum ſervare? Fides ſi opera non habeat, mortua eſt per ſe. Fieri ergo neqvit ut Deo placeant, avt regnum cœleſte ingrediantur, qvi
Roma. 6. membra ſiſtunt ſerva impuritati & iniqvitati, ad patrandum peccatum: vel juſticiam fidej poſsideant, qvi juſticia bonæ conſcientiæ carent, & pœnitentiam ſeriam non agunt, membraq; juſticiæ ſerva ad ſanctimoniam & obediendum Deo in po-
Tit. 2. ſterum non ſiſtunt. Hiſce enim polluta eſt & mens & conſcientia: Deum profitentur ſe ſcire, ſed factis negant, qvum ſint abominandi & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. Veniet itaq;, qvem-
Math. 24. admodum Chriſtus minatur, Dominus illorum, die qvo non expectant, & hora qvam non noverunt, & ſeparabit eos, ſcilicet ab electorum numero, partemq; eorum ponat cum hypochritis, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Reſipiſcite igitur, &
Eſai. 55. qværite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum propinqvus eſt: Derelinqvat impius viam ſuam, & vir iniqvus cogitationes ſuas, revertaturq; ad *IEHO-*
Zachar. 7. *VAM.* judicium verum judicate, & miſericordiam qviſq; facite cum fratre ſuo, viduamq; & pupillum, advenam & pavpe-
rem

rem ne opprimatis, præterea malum qvis-
q; fratris sui ne cogitetis in corde vestro:
Sed renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qvi secundum *Ephes. 4.*
Deum conditus est, ad *j*usticiam & sancti-
moniam veram, ut sangvine agni immacu-
lati, à peccatis mundati & *j*usticia donati,
*j*us & hæreditatem filiorum Dei obtine-
re qveatis.

SECVNDVM qvod in hoc versu *II.*
considerandum monuimus, est prophetæ *Mēbrum*
qverela de mundo, & impĳs, nam ait: *hujus loci*

*Justus perit, nec est qvisqvam qvi repo-
nat corde, & viri misericordiæ con-
gregantur, nec est qvi intelligat, &c.*

Avdimus enim hoc loco qvam se-
riò Propheta conqveratur de mundi &
impiorum summa cæcitate, securitate &
stupiditate, qva *j*ustorum & piorum, qvi
vasa misericordiæ Dei & organa utilia ac
salutaria Ecclesiæ & Re*j*pub. fuerunt,
mortem & fata, cum sua significatione ne-
gligunt, contemnunt, neq; ita ut par erat
æstimant. *Justus* (inqvit) *perit*, hoc est,
pĳ moriuntur, avt Evangelĳ Doctores &
alĳ Evangelio obedientes rapiuntur in
carceres, torqventur & interficiuntur.

Nec est qvisqvam qvi reponat corde, id est, nemo est qvi ob id dolore afficiatur, avt ea diligentia qva oportebat hoc æstimet & perpendat. nemo omen considerat: avt qvod sit singularis Dei pœna & venturi mali, futurarumq; calamitatum prænuncium sive præsagium, cogitat, qvod Deus illustres homines & pietate virtutumq; ornamentis præclaros viros, præter expectationem in medio ætatis flore & cursu, dum adhuc naturalis vitæ terminus procul abesse videtur, plurimisq; prodesse potuerunt, & qvidem sæpe eo tempore, ubi eorum opera & consilia maximè necessaria sunt, abripiat & è vivis tollat. *Et viri misericordes congregantur*, Scilicet per mortem, â Deo ad populum suum, corpore in sepulchrum, anima in cœlestem patriam *Sapien.* 3. & manum Dei, ubi non tangit eos tormentum, *Nec est qvi intelligat*, cavssas, videlicet, qvare id fiat, avt qvid Deus in animo habeat dum hæc facit.

Observandum igitur nobis in hac Qverela. Primum qvanta sit hominum prophanorum cæcitas & securitas, qvod videlicet non moveantur *justorum* & prælustrium Virorum morte, neq; irati Numinis pœnas avt supplicia metuant,

nec

nec animadvertant, Si *justus* vix servetur, *1. Pet. 4.*
ubi impius comparebit: avt si in viridi li- *Lucæ. 23.*
gno hæc contingant, qvid in arido fiet?
Siqvidem non putant suam rem agi, paries
cum proximus ardet, piorumq; mortem
sibi ominosam esse: Sed eam, ut & omnia
alia indicia ac signa iræ Divinæ atq; immi-
nentium pœnarum, spernentes, susq; deq;
ferentes, in peccatis stupidi, veluti Le-
thargo laborantes, dormiunt & delitian-
tur, piosq; odio vatiniano proseqvuntur.
Et securi dicunt in corde suo: non mo- *Psalm. 10.*
vebimur á generatione in generationem,
qvoniam non eveniet nobis malum, obli-
tus est Deus, occultavit faciem suam, non
videbit in seculum. Qvia neq; ab exortu *Psalm. 57.*
Solis, neq; ab occidente, nec à deserto
montium qvicqvam est metuendum. un-
de non mirum est Prophetam tam gravi-
ter conqveri de tanta mundi impietate &
securitate, præsertim cum hæc semper fa-
cta sint, atq; nostra ætate etiamnum jugi-
ter fiant. Si enim ad præsens hoc secu-
lum oculos, mentemq; convertimus, cer-
tè si in eo vixisset Esaias, nihil potuisset de
nobis, nostrisq; moribus aptius proferre.
Qvod ut manifestum evadat operæpreti-
um esse judico, pavlò diligentius conside-
rare, cum modum, qvo Deus nos peccati

noſtri & iræ ſuæ admonet, tum etiam qvomodo homines Divinas admonitiones excipiant, vitamq; inſtituant.

I. Nam cum Divina bonitas & cle-
Ezech. 33. mentia, nolit mortem peccatoris, neq; in
Tobiæ. 3. perditionibus noſtris delectetur: Sed vi-
Pſalm. 30. ta in voluntate ejus ſit: Non qvoties peccant homines ſua fulmina mittit, verum verbo & ſignis Deus ſe offenſum, pœnasq; de nobis ſumpturum antea præmonet & denunciat, ut ſit nobis reſipiſcendi ſpatium, & diligentiores excubias agamus, de-
Lucæ. 21. precantes, ut digni habeamur, qvi effugiamus iſta omnia qvæ eventura ſunt, & conſiſtamus coram filio hominis.

Primum enim qvotidie prædicati-
Iohan. 16. one verbi Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato, & nos noſtrorum ſcele-
Pſalm. 7. rum admoneri facit: Deumq; juſtum judicem eſſe, qvi iraſcitur omni die impio (ut David canit) Et niſi converſus fuerit, eum gladium ſuum acuiſſe, arcum ſuum tetendiſſe & paraſſe illum, ejq; parata vaſa mortifera, & ſagittas ad perdendum.

Zachar. 7. Præterea cum homines, ut Zacharias qveritur, attendere renuant, & ſcapulam ſuam dent averſam, avres ſuas aggravent, & cor ponant inſtar Adamantis, ne avdiant Legem & verba qvæ miſit *IE-*

HOVA

HOVA in ſpiritu ſuo, per manum miniſtrorum, de ſua ira adverſus peccata, & imminentibus pœnis, Deus concionatur inuſitatis ſignis, prodigÿs & portentis, qvæ tamen in duplici potiſsimum ſunt diſcrimine. *Iræ Divinæ ſigna duplicia.*

1\. Qvædam enim ſigna ſimpliciter ſunt σημάντικα & minantia, quæ impietatem non puniunt, ſed ſolummodo Deum iratum ſignificant, attrocibusq; pœnis olim venturis, avt *jamjam* impendentibus, atrocia delicta plectenda minitantur, niſi homines maturè ad Deum, & ſaniorem mentem redeant. hu*jj*us generis ſigna, tantâ copiâ proximis annis apparuerunt, in cœlo, aëre, terrâ, & adhuc in dies conſpiciuntur, ut enumerantem prius dies qvam oratio deficiat. Qvis enim recenſebit Eclipſes utriusq; luminaris, Cometas, Stellam novam, inuſitatos ignes, & chaſmata, naves bellicas, excercitus armatos in Cœlo viſos, mirabiles Syderum con*j*unctiones & oppoſitiones, pluvias ſangvineas, partus monſtriferos, aqvam ſangvine coloratam, aliaq; infinita propemodum prodigia & portenta, qvæ orbis præſenti ſeculo vidit? Iſtis igitur omiſsis, unum avt alterum ex eis ſaltem conſideremus, qvæ in hiſce Regnis nuper facta, ſua no-

 vitate

vitate peccandi licentiam & ſecuritatem animis noſtris excutere, timoremq́ incutere, meritò deberent, Cum Deum impietate noſtra multiplici offenſum, ſupplicia meditari adverſus nos graviſsima, niſi reſipuerimus, certiſsimo teſtimonio oſtendant. Non enim fuiſſe ἄσημον admiran-
Anno 87. dum illud halec coronâ, & antiqvis characteribus Gothicis inſignitum, qvod ſuperiori anno in Norrigiâ captum eſt, experientia fortaſsis didicimus. Accedunt etiam inuſitatæ, horrendæ & propemodum continuæ tempeſtates, ſuperiore hominum memoria, pene inavditæ: Partus monſtroſi & præternaturales, qvalis ille erat, qvi tempore *jejunij* qvadragenarij
Anno 88. (ut vocant) hoc anno Othoniæ in lucem editus brachijs pedibusq́ carens, Et lavacro regenerationis tinctus eſt, Pijſsimo Rege cuj nunc exeqviarum *juſta* mœſti facimus, in ea urbe Præſente. Qvo divinâ providentiâ absq́ dubio ſignificare voluit, maximam partem generis humani, ita vitam traducere, qvaſi nec manus haberent ad faciendam Dei voluntatem, & miſericordiam exhibendam proximo, nec pedes ad ambulandum in veri-
Roma. 6. tate Domini, cum peccatum regnet in mortali ipſorum corpore, ut ej obediant
in

in suis cupiditatibus. Qvid referam horrendum illud tonitru & fulgur, qvod in asperrimâ brumâ avditum & visum est, ultimo die Decembris, superioris anni? *Anno 87.*
Qvid igneam illam crucem Cœlo flammante ab Oriente, super hanc urbem progredi vigilibus conspectam? Hæc omnia & infinita alia testantur ob malitiam & securitatem hominum, succensum esse ignem in furore Dei, (qvemadmodũ ipse loqvitur) Qvi ardebit usq; ad Inferni no- *Devt. 32.*
vissima, devorabitq; terram & fructus ejus. ut consumentur super homines mala: & combusti reddantur fame & comesti ægritudine calidâ & amarâ excisione, foris grassetur gladius: in cubilibus vero terror, in juvenes juxtà ac virgines, in lactantes atq; canos.

Nunc ad alterum genus signorum 2.
progrediamur, qvibus Deus nobis concionatur, Qvæ non solum σημάντικα: Verumetiam τιμωρήτικα sunt, utpote qvæ non tantum denunciant & testantur patrem cœlestem iratum esse, sed & simul puniunt, & mortalium peccata justis pœnis ulciscuntur, ut sunt bella qvæ ubiq; locorum ardere nunc avdimus, Annonæ Caritas, fames, pestis, morbi novi & incogniti, & omnis generis afflictiones &

calamitates, qvibus mundus ob enormia delicta visitatur & castigatur. Horum nec nos expertes viximus, præteritis annis, neq; hodiernâ die omnino sumus. Nam ut pestem, morbos Epidemicos & reliqva taceam, videmus secundum Prophetarum vaticinia, ob detestandam nostram ingratitudinem & enormia flagitia colligi sive deficere pisces maris, mærere piscatores, & lugere omnes projicientes in aqvas hamum. Sentimus etiam maximo cum dolore hoc signo iræ Divinæ, cujus Propheta noster in textu meminit, nos à Deo punitos. Postqvam enim intra octennium Principes multos de familiâ Regiâ hisce Regnis conjunctissimos è statione hujus vitæ evocavit, ut *IOHANNEM* & *ADOLPHVM* patruos Regis: *MAGNVM* germanum fratrem, *ANNAM* Sororem: *AVGVSTVM* Sororiū: *ELIZABETHAM* fratriam: *ELIZABETHAM* Socrum, *ELIZABETHAM ADOLPHI* filiam, ejusdemq; filium *FRIDERICVM* & alios, tandem piissimi & clementissimi Regis, patris patriæ & Domini nostri funere & immaturo obitu, se nostris sceleribus gravissimè offensum, & vindictam de nobis sumpturum declaravit & mina-

tus

Defuncti Iohan. A. 80. *Kal. Octob. Adolp. A.* 86. *Kal. iisdem. Magn. A.* 1584. *Anna* 85. *Kalend. Octobris. August. A.* 1586. 11. *Febru. Elizabet. Reg. mat. A.* 86. 14. *Octobris. Elizabet. Adol. fil. An.* 87. *Frid. Ad. Fil.* 1587.

tus eſt. Nam propter prævaricationem Regionis, inqvit Solomon: multi Principes ejjus. Sicut etiam Dominus apud Eſaiam propter hanc cavſſam minatur, à Iuda ſe ablaturum omne fulcimentum panis & aqvæ, fortem & virum bellicoſum, judicem & Prophetam, & divinum & ſenem, qvinqvagenarium & honorabilem, & conſiliarium, atq; daturum pueros Principes eorum & dominaturos illis pueros. Qvibus verbis etiamſi Scriptura irati Numinis ſignum, peccatiq; pœnam magnorum virorum & piorum Principum funera eſſe oſtendit, tamen Deo gratias agendæ ſunt, qvod de Sereniſsimo noſtro deſignato Rege intelligi non poſsint nec debeant. Nam Propheta non loqvitur de ĳs qvi pueri ſunt ætate, & indies in melius proficiunt, Sed de ĳs qvi pueri ſunt ſenſu, de qvibus aliâs ait: Væ puero centum annorum. Noſter vero Sereniſsimus Princeps & Dominus, licet per ætatem nondum ex Ephæbis exceſſerit: tamen (ut ſuperius qvoq; meminimus) Sapientia, virtutum incrementis ætate & gratia apud Deum & homines qvotidie proficit: ut ætatem ſapientia & prudentia, annos virtus & excelſa ingenĳ indoles longè ſuperet, omniumq; admirationem

Prov. 28.
Eſaiæ. 3.
Chriſtianus IIII.

& oculos in se convertat. ut hîc vere illud
Eccles. 4. locum habeat: Melior est puer sapiens, Rege sene & stulto, qvi admonitionem nescit recipere amplius.

II. *Qvomodo homines excipiant Dei admonitiones.*

Qvamvis avtem ita variis modis verbo & signis, atq; immaturâ justorum & præsertim illustrissimi patris patriæ morte, Divina bonitas ad pœnitentiam nos invitet, deq; peccatis nostris, irâ Dei accensâ & imminentibus malis ac cladibus, seriò admoneat: Qvotus qvisq; tamen est qvi hoc corde recolligit? Qvotus qvisq; est qvi intelligit? Qvis est qvi terretur, &
Ioel. 2. sicut Propheta loqvitur, non vestimenta sed cor suum scindit, & ad *IEHOVAM* convertitur in jejunio, fletu & planctu, veluti fecerunt Ninivitæ? Væ securitati nostræ.

Principiò cum sparsus esset rumor de Serenissimi nostri Regis obitu, multi havd obscura ediderunt luctus indicia, ita ut Spes aliqva de conversione & emendatione illorum fuerit, verum ut apud multos luctus nunc concidisse, & propemodum oblivioni traditus videtur: ita pœnitentiæ & pietatis cogitationes ac studia apud eosdem langvefacta, utinam non omnino extincta, conspicimus. Qvis enim est qvi Spiritu contrito reputat hoc

pœ-

pœnam eſſe ingratitudinis & flagitiorum
noſtrorum? Qvis ea diligentia qva par
erat æſtimat & perpendit tanti Regis obi-
tum, qvo alieniſsimo tempore Eccleſiæ &
Rejpub. ſubtractus eſt, prodromum &
prænuncium eſſe iræ Divinæ, pœnarum &
calamitatum, qvæ ob peccata hiſce regnis
impendent? tantum abeſt ut homines
ſerio pœnitentiam agant, avt conſpectu
iræ ac *judicij* Divini expaveſcant, futu-
rasq; clades metuant. Imo maxima pars
eorum ita vitæ rationes inſtituunt, qvaſi
nec Deus aliqvis ſcelerum vindex, nec in-
fernus ullus eſſet: atq; ita ætatem tranſi-
gunt, ut apertè demonſtrent ſe in ultimo
illo ſeculo vivere, de qvo Dominus ait:
Sicut erant Dies Noe: ita erit & adven- *Matt.* 24.
tus filij hominis: Sicut enim erant in die-
bus qvi præceſſerunt diluvium, edentes
bibentes uxores ducentes & nuptum dan-
tes, uſq; ad diem eum qvo ingreſſus eſt
Noe in arcam: Et non cognoverunt uſq;
dum veniſſet diluvium & ſuſtuliſſet om-
nes: ita erit Adventus filij hominis. Qvo-
cunq; enim oculos convertas, qvid aliud
vides? qvam mundum totum in malitiâ 1. *Ioha.* 5.
poſitum, homines ſecurè & impiè Deum
& verbum *ejus* contemnere, Sacramenta
negligere: miniſtros odiſſe, perſeqvi, de-
ridere,

ridere, calumniari, omnem pietatem conculcare, horrendis dejjerationibus & perjuriis, Sanctissimum Dei nomen prophanare, majjoribus immorigeros esse, odio, invidia, inimicitiis adversus se invicem flagrare, homicidia impune propemodum perpetrare, propudiosas libidines & luxurias sectari, scortari, adulterari, noctes atq; dies ingurgitationibus Epicureis indulgere: proximum in omnibus defravdare & expilare, mendaciis & calumniis deformare. Breviter, omnis impietas eousq; progressa est, ut havd altius ascendere posse videatur, & homines in peccatis securi in utramq; avrem stertunt. unde commodissimè de nostro seculo usurpari potest illud Apostoli: Non est justus ne unus qvidem, non est qvi intelligat, non
Romá. 3. est qvi exqvirat Deum: Omnes deflexerunt simul inutiles facti sunt, non est qvi exerceat bonitatem, non est usq; ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum, lingvis suis ad dolum usi sunt: Venenum aspidum sub labiis eorum. Qvorum os diris & amarulentiâ plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum Sangvinem, contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.

SECVN-

SECVNDO, Sicuti hactenus ex prophetæ qverela, de mundi securitate egimus: Sic etiam observandæ nobis hoc loco fuerint, hujjus impijssimæ securitatis cavssæ præcipuæ, unde nimirum fiunt homines tam cæci, stupidi & ἀπηλγηκότες, ut iram & minas Dei, omniaq; signa & indicia venturæ pœnæ & futuræ damnationis contemnant, susq; deq; ferant & negligant, non secus ac si per oblivionis campum iter haberent. Licet avtem hujjus rei variæ & multiplices cavssæ sint, tamen nos præcipuas solum breuiter attingamus, ut eis cognitis, facilius nobis præcaveamus, ne à Deo nos abalienatos, somno peccati & securitatis obruant, & certissimæ damnationi involvant. Sunt avtem hæ cavssæ cum in nobis, tum extra nos. 1. *Cavssæ securitatis in nobis.*

In nobis est peccatum originale & naturæ nostræ vitiositas, qva ut à Deo aversi, & ad omnia bona qvæ voluntati divinæ congruunt inepti & inhabiles: ita ad omnia mala plus satis proclives & propensi sumus, ut non immeritò Moses dixerit, figmentum cordis humani pravum esse ab adolescentiâ suâ: & pavlus: se novisse qvod in se hoc est carne suâ bonum non habitet. Veluti enim ignis ab his qvi carbonariam excercent in pyram lignorumq; *Genes. 8.* *Roman. 7.*

conge-

congeriem injectus, licet ſedulò humo obſtruitur & contegitur, tamen intus ſerpit & furit, lignaq; lambens comburit, & nunc hîc nunc illic erumpit, & ſi uno loco ingeſta & impoſita terra oppreſſus & qvaſi ſuffocatus fuerit, alio ſtatim exitum flammis ſibi ſternit: Sic peccatum originale intus in corde latens, omnes facultates hominis, internas & externas vitiat & corrumpit: & ad qvævis mala ſtimulat & accendit: neq; unqvam ea diligentia reprimitur, qvin inſtar ignis intus furentis, flammis peſſimarum cupiditatum interdum erumpat in actus, & in varia ſcelera & vitia ſeſe exoneret. unuſqviſq; enim, ait Apo-

Iacob. 1. ſtolus, tentatur, ſive ad malè agendum ſolicitatur, dum á propriâ cupiditate abſtrahitur & ineſcatur: Qvæ ubi concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum progignit mortem. Hæc itaq; naturæ vitioſitas & originalis corruptio, prima cavſſa eſt, qva non tantum, ut ille canit:

Mortales vitium penitus labuntur in omne
Præcipites, qvoniam facilis via ducit ad ipſum,
Hoc qvia vel nobis jam tum naſcentibus hæret:

Sed

Sed etiam in peccatis cæci & securi redduntur, ut nullo *DEI* metu avt timore agantur vel invitentur ad pœnitentiam.

Vnde tandem delinqvendi prodit consvetudo, qvæ naturæ vires induens, hominum securitatem & malitiam, à congenitâ illa corruptione profectam, ita corroborat & adavget, ut non posśint non peccare, atq; in contumaciâ sua perseverare. Verisśimum siqvidem illud Avgustini est, dum consvetudini non resistitur fit necesśitas, sensus obdurat ne mala videant: mentes indurat ne mala terreant, corda inescat ut fœda placeant, vires enervat, ut victæ jaceant. Qvare Prophēta de illis qvi inveterata consvetudine vitiorum tenentur, ait: nunqvid mutabit Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas? vos qvoq; poteritis benefacere, assveti ad malefaciendum?

Peccandi consvetudo.

Ierem. 13.

Ne itaq; hæc nobis eveniant, nec primus hic securitatis & scelerum consiliarius nobis obsit, duo imprimis agenda sunt. Nam primò vetus ille homo noster cum suis concupiscentiis crucifigendus & mortificandus est, avxilio Spiritus sancti invocato, & pravarum cogitationum impetus refrenandi & extingvendi, ut enervetur corpus peccati, ne posthac nos serviamus

Roma. 6.

Coloß. 3. ej, ſed induamus novum hominem, qvi
renovatur ad agnitionem ſecundum imaginem
ejjus qvi condidit ipſum. Deinde ſi
lapſi fuerimus non diu inhæreamus ſordibus
flagitiorum noſtrorum, nec differa-
Syrach. 5. mus converti ad Dominum, nec diem
ex die periculoſa procraſtinatione ducamus:
verum ſtatim dum vulnus adhuc re-
Pſalm. 51. cens eſt, corde contrito & ſpiritu humiliato,
qvæ ſacrificia ſunt Deo acceptiſsima,
Libro. 1. ad Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum
Epiſtola- in verâ converſione & fide accurramus, &
propoſitâ vitæ morumqvé emendatione
ſupplices veniam petamus. Primus enim,
ut Cyprianus docet, felicitatis gradus eſt
non delinqvere: Secundus, delicta cognoſcere:
illic currit innocentia integra &
illibata qvæ ſervet: hîc ſuccedit medela
2. qvæ ſanet.

Cav. ſecuritatis extra nos. Extra nos ſecuritatis cavſſæ variæ
ſunt in Deo, in Diabolo, in mundo, & ſcelerum
impunitate.

I. Si Deum reſpicimus, immenſâ ipſius
miſericordiâ, bonitate, & longanimitate,
Roman. 2. qva ad reſipiſcentiam nos allicit & paternè
invitat, ad prophanam peccandi ſecuritatem
confirmandam peſsimè abutimur.
Tanta eſt naturæ noſtræ pravitas, ut qvod
ad medicinam & ſalutem ordinatum eſt,
nos

nos protervè ad morbi incrementa &
damnationem uſurpemus. Qvemadmo-
dum Eccleſiaſtes graviter conqveritur, di-
cens: Qvia non profertur citò contra ma- *Eccleſ.* 8.
los ſententia, abſq; timore ullo, filij homi-
num perpetrant mala.

Verùm ut hujc peſti paratum antido-
ton habeamus, oculis noſtris proponamus
Syracidis dictum, illudq; digna æſtimatio- *Syrac.* 5.
ne perpendamus. Ne dixeris, ait, peccavi,
& qvid mihi acerbum accidit? Dominus
patiens eſt non te dimittet. De venia ne
ſis nimium ſecurus, ut peccata peccatis cu-
mules, ac ne dicas miſericordia ejus pluri-
ma eſt, multitudinem peccatorum meo-
rum mihi ignoſcet. Tam enim ira qvam
miſericordia ab eo properabit, ac ſuper
ſceleratos furor ejus reqvieſcet. Ne diffe-
ras converti ad Dominum, nec diem ex
die ducas, nam ſubitò ira Domini erumpet,
& qvum ſecurus eris profligaberis, atq; in
tempore ultionis peribis. Cuj Pavlus con- *Roma.* 2.
ſentit dicens: An copiam benignitatis e-
jus & tolerantiæ ac lenitatis contemnis?
ignorans qvod benignitas Dei ad pœnitē-
tiam te allicit, ſed pro duritiâ tua & cor-
de reſipiſcere neſcio, theſavrizas tibi iram
in diem iræ, & declarationis juſti judicij
Dei, qvi reddet unicuiq; ſecundum opera

ipſius. Huc etiam facit pulcherrimum Augustini dictum, diligenter meditandum, ne *juſticiæ* Divinæ ſepoſito metu, miſericordiæ ſpe, in malis roboremur. Qvando habemus tempus, inqvit, miſericordiæ, non nobis blandiamur, non dicamus: Semper parcet Deus: Ecce feci herì & pepercit Deus: facio & hodie & parcit Deus: faciam & cras & parcet Deus. Attendis ad miſericordiam, & non times *judicium*. Si vis cantare miſericordiam, & *judicium* intellige, qvia ideo parcit ut corrigas, non ut in malignitate permaneas.

II. Si Diabolum reſpicimus, circumit
1. Pet. 5. tanqvam Leo rugiens qværens qvem devoret. Primum enim occultè impellit ad facinora Deo diſplicentia, qvibus fides amittitur & Spiritus Sanctus e*j*icitur. Novit enim temperamentum hominis, undè nec eum fugit ad qvæ vitia maximè propenſus inclinet. Semper igitur in omnes occaſiones intentus vigilat, ut ſecuros ſeducat & perdat. Interdum enim ob*j*icit ſenſibus occaſiones delinqvendi, cum non ignoret ſenſuum organa, vitiorum eſſe *ja*nuas. ac ſæpe ſe immiſcet humoribus corporis & eos movet & ineſcat, adhibitis occultè inſtrumentis ad eam rem idoneis, cev venenis, qvibus humores veluti fer-

men-

mentantur ac inficiuntur. Hinc cogitatio tanqvam Satanæ inſpiratio naſcitur. Cogitatio affectum movet: qvi pavlatim magis magisq; accenſus, voluntatem turbat & judicium corrumpit, Voluntas ſi affectibus ſe obſeqventem præbuerit, imperata exeqvitur, peccatumq; perficit, qvo peracto, homo ſervus peccati & Satanæ mancipium, imò domicilium, & filius iræ redditur. Deindè qvò hominem facilius huc uſq; perducat, is, ut eſt mille artifex, ſingulari aſtutiâ peccatum extenuat, & fucata dulcedine ſic commendat ac depingit, ne res noxia avt triſtis eſſe, Verum optatæ voluptatis pleniſsima appareat, qvemadmodum luctuoſum primorum parentum & Iudæ exemplum luculenter teſtatur. Qvin etiam miſericordiæ Divinæ bonitatem & amplitudinem tantoperè extollit & exaggerat, & econtrariò iram & juſticiam Dei extenuatione mendaci enervat & deprimit, ut homines vanâ ſpe miſericordiæ conſeqvendæ qvantumcunq; deliqverint, ſeſe lactantes, nullo metu iræ & judicij Divini teneantur, unde mortifera iſta ſecuritas, pœnitentiæq; neglectus, in cordibus humanis paſsim expullulat. Verum nemo ſe decipi patiatur hujjuſmodi illecebris & figmentis. Nam ubi peccatum

perpetratum fuerit, Satan detracto dulcedinis & voluptatis inani fuco, ita ejus atrocitatem & turpitudinem, iræq; & justiciæ Divinæ rigorem ac ſeveritatem exaggerat & exaſperat, & conſcientiam tam diris modis lacerat & excarnificat, ut miſerum peccatorem tandem in deſperationem præcipitet, qvo cum deſperabundo

Geneſ. 4. Caino exclamet: *Major eſt iniqvitas mea qvam ut veniam merear.* Chriſti igitur præcepto obtemperemus, qvi ſuadet ut

Matt. 24. vigilemus & oremus, ne in tentationem

1. *Pet.* 5. introeamus. Et ſobrÿ ſimus, ac reſiſtamus

Epheſ. 6. Diabolo firmi per fidem, ejus ſcuto aſſumpto, qvo poſsimus omnia jacula mali illius ignita extingvere.

III. Si verò Mundum conſideramus & ipſe ad peccandum, ſecuritatemq; induendam, impÿſsimis exemplis & infinitis Scandalis, havd parvo incitamento eſt. Sumuntur enim, ut Seneca ſcribit, à converſantibus mores: Et in conſvetudine victus cum improbis, ait alius, ipſe qvoq; improbus efficere. Nam ita comparatum eſt humanum ingenium ut bonum, jucundum & honeſtum judicet ſe conviventibus accommodare, eorumq; mores in vitâ exprimere, præſertim ſi pravi ſint. Siqvidem, inimica tenacius hærent. Qvare

à Sy-

à Syracide rectiſsimè dictum eſt: Qvi te- *Syrac. 13.*
tigerit picem inqvinabitur ea: qvi com-
municat cum ſuperbo ſimilis ej efficietur.
Et à Paulo poſt Menandrum: corrum- *1. Cor. 15.*
punt bonos mores colloqvia prava. Cum
itaq; mundus delitiatur in peccatis ſuis,
ſcortatur, potat, jurat, tyrannidem & ra-
pinas exercet, breviter, nulla vitia non
deſignat, alij hæc qvotidie cernentes, ad
imitationem alliciuntur, exiſtimantes avt
peccata non eſſe cum à tam multis & qvi-
dem potentiſsimis, ac illis qvi haberi de-
bent ſanctiſsimi fiant, avt ſe una cum
ipſis veniam à Deo impetraturos. Perſua-
dent enim ſibi tantam multitudinem vix
errare, perire avtem non poſſe.

Accedit etiam hiſce ſcelerum ma- *IIII.*
leſuada impunitas, qvæ mirum in modum
ingenia perverſa ad qvidvis avdendum
& ſecurè avſis inſiſtendum exſtimulat. Si-
qvidem omnes licentiâ deteriores ſumus,
& ut Bernardus rectè ait: Impunitas in-
curiæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix
impudentiæ, transgreſsionum nutrix eſt.

Nam ſicut, *Oderunt peccare boni virtutis*
amore: Sic,
Oderunt peccare mali formidine
pœnæ.

Qvando igitur cessat magistratus ad flagitia connivens, nec officium facit, neq; tanqvam minister Dei gladium gestat, bonis in laudem, malis verò operibus terrori, tanqvam ultor ad iram ei qvi qvód malum est fecerit, fenestram aperit ad alia similia delicta securè perpetranda. Qvam ob cavssam Poëta verissimè dixit: Qvi non vetat peccare cum possit, *jubet.*

Rom. 13.

Remedia generalia securitati opponenda

Verùm ne harum venatissimarum Sirenum cantu, securitatem & libertatem peccandi suadentium, decipiamur, nec animi nostri tam pernitiosis consiliis obseqventes se præbeant, assiduè nobis proponamus comminationes Dei gravissimas adversus delinqventes & securos: signa iræ Divinæ: pœnas multiplices, qvibus qvotidiè mundus affligitur unâ cum pœnarum exemplis, ut sunt angelorum damnatio, diluvium, eversio Sodomæ & Gomorrhæ vicinarumq; urbium, tristissimum Ierusolymæ excidium, aliaq; innumerabilia, eaq; nobis accommodantes cum Apostolo dicamus: Si Deus angelis qvi peccaverant non pepercit, sed catenis caliginis in tartarum detrusos, tradidit ad damnationem servandos: Si prisco mundo non pepercit, sed octavum Noe *justiciæ* præconem servavit, diluvio in mundum

2. Pet. 2.

dum

dum impiorum inducto: Et Civitates
Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem
redactas ſubverſione damnavit, fecitq; ut
eſſent exemplar eorum, qvi impiè ſunt vi-
cturi: Si Deus naturalibus ramis Iudæis *Roma. 11.*
non pepercit, multò minus nobis parcat,
ſi ſecurè in delictis adverſus conſcientiam
perſeveraverimus. Cogitemus etiã qvam
certa mors ſit, qvamq; incerta mortis ho-
ra, & qvod omnes ſiſtemur ante tribunal
Chriſti, ubi unusqviſq; noſtrum de ſeipſo *Rom. 14.*
reddet rationem Deo. Poſtremò intue-
amur diligenter mortem filij Dei, qvæ
præcipuè teſtatur qvam fœda & abomina-
bilis res ſit peccatum, & qvam horrenda
ſit ira Dei adverſus peccatum, cum neq;
hæc placari, neq; illud tolli, ſine triſtiſsi-
mâ unigeniti Dei nece potuerit. Hæc enim
ſi rectâ lance ponderentur, ſine dubio ef-
ficient, ut animis noſtris ejectâ omni ſe-
curitate, peccatum odiſſe incipiamus, ej-
juſq; illecebras qvaleſcunq; circumſpecti
fugiamus, veraq; pœnitentiâ ad Deum
convertamur, ſicuti Bernardi exemplum
teſtatur. Is ſiqvidem de poſtremo (ut re-
liqva taceam) perpendens qvantum Chri-
ſtus pro nobis ſit paſſus, inqvit, ſe exiſti-
maſſe qvod omninò tutus eſſet ab irâ Dei,
& nihil ſe ſciviſſe de damnationis ſenten-

tiâ in Cœlo, de se & omnibus hominibus lata & jam pronunciatâ, donec vidisset, qvod unigenitus Dei filius prodiret, & judicio pro peccatoribus se subjiceret, & addit (Qvemadmodum & singulis nostrum cum ipso faciendum est) Væ mihi si securus sum: Væ mihi qvam nihil omnino indulgendum est peccatis, cum Deus in pœnis eorum tantâ utatur severitate & attrocitate. Beatus enim, ut idem ait: Si omni satagas cura, malorum omnium primam parentem cavere incuriam.

DE SECVNDA.



E QVIS INDE OFFENderetur qvod Propheta dixerit, justos ita perire & è medio tolli, & qvidem sæpe dum
Exod. 20. ætas adhuc florida est, cum Deus timenti-
Prove. 3. bus se longævam vitam, protectionem &
4. & 10. conservationem abundè promiserit: In Secundo hoc loco, ejjus rei caussas exponit, & qvam beatæ ac felices sint post mortem, piorum conditiones breviter declarat, ut cujlibet hinc concludere promptum sit, à re justorum esse, qvod è mundo

do maturè auferantur. Nam Esaias ostendit eos per mortem, primum à malis liberari, deinde ad æternam pacem & nunqvam finienda bona ingredi.

De priori ait: *A facie enim mali colligitur, justus ille,* id est, priusqvam malum sive calamitates & pœnæ Dei irati ingruant, sev propter mala ventura ne eis involvatur, in veræ patriæ portum & reqviem, morte transfertur ad consortium beatorum in Cœlis. Hæc igitur cavssa est qvare Deus, pios illustres & utiles viros, Reges, Principes, Magistratus, & Doctores, dum ætas viresq; adhuc suppetunt, & maximus in Ecclesia & Repub. eorum usus foret, ocyus interdum mortalibus eximat, qvod nimirum decreverit ob enormia peccata, & fœdam ingratitudinem adversus Creatorem, regna cum incolis, gravissimis malis & suppliciis puniri & afficere. Ideo justos colligit, ad beatos in cœlum, ut subducantur futuris calamitatibus, neq; magno suo dolore, pro sua qvæ in eis est pietate, cogantur omnes istas miserias & infortunia, cernere, degustare, experiri, qvibus impius & ingratus hic mundus affligendus est. Cujus rei illustre documentum Historia Io-

1. Cavßa cur citius interdum pii moriuntur.

ſiæ Sanctiſsimi Regis præbet. Avdiverat
2. Par. 34 ille præcepta, & minas Legis Divinæ adverſus ejjus prævaricatores, & ex oppoſito animadvertebat, qvantum mores ſui ſeculi diſcreparent, à normâ obedientiæ, & perfectione qvam Lege à cunctis mortalibus Deus exigit, undè concludebat ipſos certò puniendos graviſsimè à Deo ſecundum maledictiones & minas à Moſe pronunciatas. Luget itaq;, expaveſcit, orat, & conſulit Dominum hac de re, cuj reſponſum eſt per Prophetiſſam: Deum qvidem adducturum ſuper terram omnia maledicta, qvæ in libro Legis extant, ſed eum, Regem qvandoqvidem avditis verbis Domini humiliatus eſſet, & fleviſſet coram ipſo, exavdiſſe, illumq; colligendum ad Sepulchra ſua in pace, ne viderent oculi ipſius omne malum, qvod eſſet
Geneſ. 5. inducturus ſuper locum iſtum. Sic Enoch in Cœlum translatum, & Mathuſalem ac Lamech, ipſo anno diluvij evocatos ex hac vitâ, ante totius orbis deletionem ſacra teſtantur monumenta.

Mors piorũ infavſtũ ſignum Suppeditat igitur hic locus nobis, doctrinas & Conſolationes. Nam primo diſcimus non eſſe favſti ominis ſignum, qvando pij & excellentes Principes & gubernatores, & Eccleſiæ miniſtri, è ſtatio-

ne

ne ſua fatis concedentes emigrant, ſed
Deum offenſum peccatis ſignificare, mor-
temq́; magnorum & illuſtrium Virorum,
plerumq́; triſte præſagium eſſe futurarum
mutationum, afflictionum, calamitatum.
Siqvidem Eſaias etiam alibi teſtatur Do- *Eſai.* 3.
minum qvando gravius aliqvam Rem-
pub. affligere velit, prius excellentiſsimos
qvosq́; è medio tollere, eo qvod mundus
indignus ſit, eorum conſilijs & conſolati-
one frui, qvando ingruerint adverſa illa
tempora, qvibus juſticia Divina pœnas
impietatis repetat ab hominibus. Demon-
ſtrant hoc evidentiſsimè non ſolum ea
qvæ modo cõmemoravimus: verumeti-
am Hiſtoriæ & exempla omnium ætatum.
Cum Deus contumaciam Regni Iſraëliti-
ci debitis calamitatibus punire vellet, prius 1. *Reg.* 2.
pijſsimum ac fortiſsimum Davidem, & Sa- 1. *Reg.* 11
pientiſsimum Solomonem avfert. Dein- *ibid.* 12.
dè infinita mala graſſari paſsim incipiunt.
Regnum ſcinditur in duas partes, exori-
untur ſeditiones & bella inteſtina prope-
modum continua, inſtituuntur cultus ido-
latrici, qvibus majjor pœnarum moles, at-
trahitur. Ezechiâ, qvi ardenti gloriæ Dei 2. *Par.* 32.
& Religionis propagandæ zelo fereba-
tur, defuncto, ſuccedit ipſi Manaſſes, duo-
decim annorum puer, qvi idola coluit,
Eccle-

2. *Par.* 33. Ecclesiam & pios persecutus est, populum à Dei cultu avocavit, & Ierusolymam sangvine innoxio Sanctorum implevit usq; ad latera. Ideo adduxit super eos Deus Asſyrios, qvi totam terram igne ferroq; depopulati, Regem cum populo in captivitatem deportarunt, qvemadmo-
Esai. 39. dum Ezechiâ vivente, post ipsius obitum futurum Dominus minatus fuerat. Cum
2. *Reg.* 23. morti debitum solvisset Iosias, cujus su-
2. *Par.* 36 pra mentionem injecimus, secundum Dei comminationes, Rex Ægypti, totum Regnum hostili gladio devastavit, & impium Regem Ioacham captivum tulit. Huic in imperio succesſit Ioachim, qvi similem expertus fortunam, in carcerem abductus est per Nebuchadnezar, spoliato templo & ablatis simul vasis domus *IEHOVÆ.* In ejus locum suffectus est Zedechias etiam impius, qvi cum populo subsannavit & contempsit nuncios Dei, verbaq; altisſimi ludibrio habuit. Ascendere igitur fecit Dominus contra eos Regem Chasdim, qvi occidit juvenes eorum gladio in domo Sanctuarij, qvam ipsi antea polluerant, nec pepercit juveni nec virgini, nec seni & decrepito (ut textus habet) omnes dedit in manum ejus, totamq; terram immanisſimè devastavit, & populum captivum

captivum

ptivum in Babylonem exulatum transmisit. Sic Avgustino in Domino extincto, à Vandalis Africa depopulata, ejusq; patria ipsis dedita est.

Sistamus itaq; hîc pavlisper gradum & hujusmodi exempla diligentiori studio, animo revolvamus, nobisq; ea accommodantes, feliciora fata nostris Regnis, in verâ conversione ad Deum ardentibus gemitibus exoptemus, precemur. Nunc enim Deus in cœlestem patriam transtulit Serenissimum Regem & Dominum nostrum clementissimum, qvi vera pietate & fortitudine Davidi, Sapientia in rebus gerendis, & pacis ac tranqvillitatis amore Solomoni, & ardenti Zelo pro tuendâ gloriâ Dei & veritate atq; concordiâ Religionis Ezechiæ, & Iosiæ non admodum dissimilis fuit. Qvod sanè boni ominis signum non esse, sed certissimum indicium iræ Divinæ ac imminentis pœnæ, nisi pœnitentiam egerimus, superiora declarant, præsertim cum tam alieno ac periculoso tempore Ecclesiæ & Rejpub. ac tam citò in ætate vigente & floridâ subtractus sit. ut hîc nobis meritò in mentem venire debeat, qvod Theodoretum in morte Ioviniani Imperatoris dixisse Historiæ tradunt, Qvod videlicet omnium

Mors Regis qvale signum.

mode-

moderator in pœnam malorum nostrorum ostendere tantum nobis bona videatur (hoc est brevi tempore concedere) & mox ijsdem spoliare: docereq; qvam facile sit ei præbere qvæ lubeat, Simulq; arguere qvam bonis simus indigni, & ad meliorem vitam capessendam nos cohortari.

Cogitemus igitur qvanto in discrimine status horum Regnorum & res nostræ versentur, qvamq; necessaria morum emendatio sit, cum Deus hujjusmodi signis se nobis iratum ostendat, eamq; faciem præ se ferat, qvasi sublatis optimis, á nobis discessurus, & pœnis acerbissimis terram purgaturus sit, idq; ob scelera nostra
Genes. 4. multiplicia, qvæ instar sangvinis Abelis
& 18. contra Cainum, & peccatorum Sodomæ ac Gomorrhæ versus Cœlum clamant, & vindictam de nobis expetunt. Habemus
Ephes. 6. etiam hostes multos, non solum invisibiles istos mundi dominos, rectores tenebrarum seculi hujjus, & Spirituales malitias qvæ in sublimi vagantur: verùm etiam visibiles, fortè, in mundo, qvi se facile administros & executores iræ Divinæ præbituri sunt, modo vênia ipsis concessa
Zachar. 2. fuerit, nec Deus veluti murus igneus, sua protectione in circuitu nostro esse voluerit.

rit. Siqvidem ad nocendum parati nos cribrare instar tritici expetunt, nostramq; perniciem & internecionem desiderant ac sitiunt. *Lucæ.* 22.

Summoperè itaq; necessarium est, ut maturè de remedio horum malorum circumspiciamus, ne Dominus concludat in irâ misericordias suas, avt suâ gratiâ à nobis recedat: Et ea agamus qvibus cum discipulis Emaus proficiscentibus Dominum cogere possumus, ut nobiscum maneat, qvo impendentibus malis liberemur. ut avtem hoc asseqvi qveamus, qvinqve nobis studiosè comparanda, & totius vitæ curriculo exprimenda sunt, ut videlicet verbum Dei amemus: veram pœnitentiam agamus: ardentibus precibus Deum invocemus: concordiam foveamus: & proximum diligamus. Hæc enim non solum præsentissima sunt Antidota, adversus mala qvæ peccatis meriti sumus, verumetiam qvasi retinacula & adminicula qvibus Deus retinetur, ne discessum suâ gratia paret, avt faciem misericordiæ abscondat & avertat, sed benedicat nobis & custodiat nos, lucere faciat faciem suam super nos & misereatur nostri.

Psal. 77.

Luc. 24.

Remedia ad avertendas pœnas & irã Divinã.

Nume. 6.

1\.

Amor verbi primum remedium est, qvo impendentes pœnas avertere, & qva-

Amor verbi.

si re-

ſi retinaculum (ſi ita appellare licet) qvo
Deum propitium retinere poſſumus. Nam
ut verbi contemptus omnis generis cala-
mitates, ac tandem finale excidium & dam-
nationem accerſit, ut in Iudeorum triſtiſsi-
mo excidio & reprobatione conſpicitur:
Sic verbi divini amor, qvo fit ut debitâ re-
verentiâ gratis cordibus, ſemen illud in-
corruptibile recipiatur, Deum & divinam
benedictionem in ſua vota trahit. Extant
enim dulciſsimæ hac de re promiſsiones.
Exod. 20. Nam apud Moſen ipſe ait: in omni loco in
qvo meminiſſe fecero nominis mei, veniã
Iohan. 14. ad te & benedicam tibi. Et Chriſtus: Non
relinqvam vos orphanos, ſed redibo ad
vos. Si qvis diligit me, ſermonẽ meum ſer-
vabit, & pater meus diliget eum, & ad eum
veniemus & manſionem apud eum facie-
mus. Caveamus igitur ne verbum Domi-
ni negligamus, avt ejus tædio afficiamur,
qvod ingratum mundum facere cernimus.
Si enim verbum qva par eſt gratitudine &
obedientiâ avdimus & amplectimur, De-
um præſentem habemus. Si verò Deus no-
bis præſens eſt, qvid qvæſo nobis deeſſe
avt obeſſe poteſt? cum ille ſit pater lumi-
Iacob. 1. num, à qvo omnis donatio bona & omne
donum perfectum deſcendit. Licebit igi-
tur cum Pavlo verbum diligentibus glo-
riari:

riari: Si *DEUS* pro nobis qvis contra nos? *Roma.* 8.

Alterum antidoton adversus immi- 2.
nentia mala & retinaculum qvo Deum abitum molientem ob peccata & ingratitudinem nostram, placare & retinere debemus, est vera pœnitentia, qvæ nobis seriò sine omni hypocrisi & simulatione agenda est. Qvod ut fieri oporteat, ne simpliciores ignorent, brevissimo compendio recensebo, qvæ ad veram conversionem necessariò reqvirantur.

Pœnitentia.

Primò reqviritur, peccati confessio & agnitio. Si enim confiteamur peccata nostra fidelis & justus est Deus ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniqvitate. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & sermo ejus in nobis non est. unde verissimè Augustinus dixit: Amissâ confessione peccati, non est locus misericordiæ. Et alibi: Peccatum meum non operui, sed aperui ut operires: non celavi ut tegeres. Nam qvando homo detegit Deus tegit, cum homo celat Deus nudat, cum homo agnoscit, Deus ignoscit. Cum filio itaqꝫ prodigo in verâ humilitate dicamus: Pater peccavi in cœlum & coram te, neqꝫ amplius sum dignus vocari filius tuus.

Pœnitentiæ agendi ratio.

1. Iohan. 1.

Lucæ. 15.

Secundo, expaveſcamus conſpectu
& metu iræ ac judicij Dei, qvem peccato
offendimus, & verâ cordis contritione ac
ſpiritu humiliato deploremus & doleamus
nos peccaſſe, & peccatum abominemur ac
Pſal. 34. fugiamus. Nam propinqvus eſt *IEHO-
VA*, contritis corde & attritos ſpiritu
Pſalm. 51. ſervat, cum hæc ſacrificia ſint ipſi acce-
ptiſsima, qvæ non deſpicit. Qvamobrem
Eſaiæ. 57. apud Prophetam dicit: Excelſum & ſan-
ctum habito, & cum contrito & humili
ſpiritu, ut vivificem ſpiritum humilium &
ſanem cor contritorum.

Tertio, Si rectè pœnitentiam agere
volumus, non in delictis noſtris deſpere-
mus, ſed verâ fide in Dei miſericordiam,
& Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum
recumbamus, certò ſtatuentes, ubi abun-
Roma. 5. davit delictum, ibi ſuperabūdare gratiam,
Coloſs. 1. nosq; in Chriſto habere redemptionem,
per ſangvinem ipſius, id eſt remiſsionem
Iohan. 3. peccatorum, ut omnis qvi credit in eum
non pereat ſed habeat vitam æternam. In
hac igitur fiduciâ, nihil hæſitantes veniam
ſcelerum & tranſgreſsionum ſupplices pe-
Pſalm. 51. tamus, cum Davide ſinguli pro ſe dicentes:
Miſerere mei, Deus, ſecundum miſericor-
diam tuam, & ſecundum multitudinem mi-
ſerationum tuarum, dele iniqvitates meas.

Poſtre-

Poſtremo, abjiciamus propoſitum
peccandi & malè faciendi, Deoq; vitam
noſtram in novâ obedientiâ approbare,
unicè ſtudeamus, fructum reſipiſcentiâ di-
gnum ferentes, ut homines videntes ope- *Matth.* 3.
ra noſtra bona, glorificent patrem no- *Matth.* 5.
ſtrum qvi in Cœlis eſt. Siqvidem Dei *Epheſ.* 2.
opus ſumus conditi in Chriſto Ieſu ad
opera bona, qvi pro omnibus mortuus 2. *Cor.* 5.
eſt, ut qvi vivunt poſthac non ſibi vivant,
ſed ej qvi pro ipſis mortuus eſt & reſurre-
xit.

Hæc igitur in qvibus ſalutaris con-
verſio conſiſtit, ſi ritè fecerimus, non du-
bium eſt qvin gratiam apud Deum pro-
pter Chriſtum Mediatorem inveniamus,
& futuras calamitates placatus à nobis be-
nignè avertat. Extant enim hac de re cum
dulciſsimæ promiſsiones, tum illuſtriſsi-
ma exempla. Qvid etenim conſolatione
plenius hac voce Domini? Impius ſi aver- *Ezech.* 18.
ſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis qvæ fe-
cit, & cuſtodierit omnia præcepta mea,
feceritq; judicium & juſticiam, vivendo
vivet, non morietur omnes prævaricatio-
nes ejus qvas fecit, non commemorabun-
tur ej, propter juſticiam ſuam qvam fecit,
vivet. Sic apud Ieremiam, repente lo- *Ierem.* 18.
qvar adverſus gentem aliquam, & adver-

ſus regnum ut evellam & confringam & perdam. Sin autem convertatur gens iſta à malo ſuo, contra qvod locutus ſum, pœnitebit me mali qvod cogitaveram facere ej. Sicut reipſa hæc impleta in Nini-

Ionæ. 3. vitarum exemplo cernimus. Licet enim per Ionam minatus fuerat Dominus ſe elapſo qvadraginta dierum ſpatio, urbem ſubverſurum, tamen cum in fletu, jejunio & ſaccis ſe coram Deo humiliarent, & converterentur qviſqꝫ à viâ ſuâ & ab iniqvitatibus ſuis, pœnituit Deum mali qvod loqvutus fuerat ſe facturum illis, & non fecit. Similem gratiam & nos experie-

Pſalm. 95. mur, ſi ſimilia egerimus. Hodie igitur ſi vocem ejus avdiverimus, non induremus corda noſtra, non perſeveremus, in delictis noſtris contra conſcientiam, ſed ape-

Pſal. 24. riamus ſine procraſtinatione portas no-

Pſalm. 2. ſtras in verâ converſione, ut ingrediatur Rex gloriæ, ſerviamus Deo in timore & exultemus in tremore: Oſculemur filium ne fortè iraſcatur, & pereamus in viâ, qvum exarſerit furor ejus. Nam non pœnitentibus, ſed ſecurè in flagitiis viventibus nihil præter inexorabile Dei judicium reſtat. Qvoniam (ut David canit)

Pſal. 73. qvi ſe elongant ab eo peribunt & ſuccidit omnem fornicantem adverſus ſe.

Terti-

Tertium Antidoton qvod nobis 3.
adhibendum diximus ad avertendam Dei *Ardens*
iram & commerita supplicia, est ardens *oratio.*
invocatio, qvâ corda nostra ad Deum
elevantes, in nomine Iesu, non solum gra-
tias pro beneficiis præstitis agamus, ve-
rumetiam supplices veniam peccatorum,
pœnarum aversionem avt mitigationem,
omniaq; necessaria precemur. Sicut enim
magnes occultâ qvadam vi ferrum attra-
hit: Sic hujjusmodi orationes qvando in *Iohan.* 4.
Spiritu & veritate fiunt, Deum (ut ita lo-
qvar) alliciunt, & ad exavdiendum se-
cundum suas promissiones commovent.
Qvemadmodum Christus ipse profitetur
inqviens: dico vobis, qvod si duo ex *Matt.* 18.
vobis consenserint in terra de omni re,
qvamcunq; petierint, fiet eis à patre meo
qvi in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel
tres congregati in nomine meo, illic sum
in medio eorum. ut non immeritò Avgu-
stinus scripserit: Oratio justi, clavis est *Sermon.*
Cœli. Ascendit precatio & descendit mi- 226. *de*
seratio Dei. Licet alta sit terra, altum cœ- *Tempore.*
lum, avdit tamen Deus hominis lingvam,
si mundam habeat conscientiam.

Omni itaq; obsecratione & depre- *Ephes.* 6.
catione orantes, omni tempore per Spiri-
tum, & illi ipsi invigilantes, cum omni

Ierem. 14. perſeverantiâ & deprecatione, cum Iere-
mia dicamus: Si iniqvitates noſtræ teſtifi-
cantur contra nos, *IEHOVA*, fac pro-
pter nomen tuum, qvia multæ ſunt rebel-
liones noſtræ, tibi peccavimus: Expecta-
tio Iſraël, ſervator ejus in tempore affli-
ctionis, qvare futurus es veluti peregrinus
in terrâ, & tanqvam viator qvi declinat
ad pernoctandum? Qvare futurus es ve-
luti vir attonitus, & tanqvam fortis qvi
non poteſt ſalvum facere? tu avtem in
medio noſtri es, *IEHOVA*, & nomen
tuum ſuper nos invocatum es, ne derelin-
qvas nos. Agnoſcimus impietatem no-
ſtram, & iniqvitatem patrum noſtrorum,
Nam peccavimus tibi. Ne reprobes pro-
pter nomen tuum, & ne dejicias ſolium
gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias
pactum tuum nobiſcum initum. Adda-
Pſal. 143. mus qvoq; cum Davide: Domine, ne in-
tres in judicium cum ſervo tuo, qvoniam
non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis
Pſal. 79. vivens. Ne memineris Domine iniqvita-
tum noſtrarum priorum: feſtina, in nos
uti miſericordia tua, qvia attenuati ſumus
valde: adjuva nos Deus ſalutis noſtræ,
propter gloriam nominis tui, & erue nos,
& propitiare peccatis noſtris propter no-
1. *Tim.* 2. men tuum. Fiant etiam ante omnia depre-
catio-

cationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro qvibuſvis hominibus, pro Regibus & omnibus in eminentiâ conſtitutis, & pro omnibus neceſſariis, ut tranqvillam ac qvietam vitam degere qveamus in omni pietate & honeſtate.

Et, ſi non continuò accipimus qvod rogamus, nihilominus permaneamus petentes, ut mereamur accipere. Neq; enim vult ſua dona avferre, ſed tardius dando qvod petimus, inſtantiam nobis orationis indicit. Propterea & aliqvamdiu, & annuere precantibus differt, & tribulationes irruere permittit, ut ad ipſum freqventius confugiamus, & expreſsius, nec ab eo diſcedamus aliqvando. Tale etiam aliqvid faciunt amantiores filiorum parentes, cum parvulos ſuos viderint, à ſe qvidem ſæpe diſcedere, æqvævorum avtem ſuorum luſibus detineri, præcipiunt famulis terribilia multa ſimulare, ut etiam metu exagitati parvuli, ad maternum ſinum confugere feſtinent. Ita etiam Deus non modò ab aliis nos tribulari ſæpè ſinit: ſed nonnunqvam etiam ipſe plagam minatur: non ut eam in nos inducat: ſed ut nos ad ſe potius adducat. Qvamobrem Prophetæ ſuadenti obtemperemus, ſi moram fecerit, expecta eum, qvia veniendo veniet &

Chryſoſto. in Mat. 3. Hom. 10.

Habac. 2.

 non

idem Genese. 11. Hom. 30. Chrysosto. Cap. 7. Matt. Homil. 24. non tardabit. Nostrumq; opus sit continuis insistere precibus, & non ægrè ferre si differatur qvod petimus, sed longanimes esse. Propterea qvippè ostium clausum est, ut tu pulsare cogaris: idcirco non celeriter annuit, ut tu diutius inqviras. Permane igitur in qværendo atq; pulsando, & absq; ambiguitate percipies, juxta il-

Matth. 7. lud: Petite, & dabitur vobis: qværite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

4\. Concordiæ studium. Qvartum remedium nobis comparandum, ne Deus iratus à nobis discedat, est concordiæ studium, ut qvæ ad

Rom. 14. pacem & mutuam ædificationem faciunt sectemur, tolerantes alij alios, & condonantes nobis mutuò, si qvis adversus ali-

Coloß. 3. qvem habuerit qverelam, sicut & Christus condonavit nobis, sic & nos, (ut Apostolus hortatur,) invicem offensas

Roma. 16. remittamus. Qvia enim Deus, est Deus pacis, ibi cum sua benedictione habitat, ubi concordia & unanimitas alitur & conservatur, ut Psalmographus docet inqvi-

Psal. 133. ens: Ecce qvam bonum & qvam jucundum habitare fratres in unum. Qvoniam illic promisit *IEHOVA* benedictionem & vitam usq; in seculum. Sicut & Syracides testatur inqviens: in tribus pla-

citum

citum est spiritui meo, qvæ sunt probata coram Deo & hominibus, Concordia fratrum, Amicitia propinqvorum, & vir & uxor bene inter se convenientes. ubi verò discordiæ, lites, inimicitiæ, seditiones, pugnæ vigent & regnant, spiritus ille impurus, qvi harum rerum & avtor & promotor ac pars maxima est, tentoria figit, imperiumqꝫ ita arripit, ut tristissimus ille seqvatur effectus, cujjus Dominus apud Lucam meminit, dicens: omne regnum adversus sese divisum, vastatur, & domus supra domum cadit: ut econtrario, Concordiâ res parvæ crescunt. Qvod Scilurus ille Schyta pulcherrimo paradigmate suis liberis demonstravit, fasciculo sagittarum dato, qvæ donec simul cohærerent, infringi neqvibant, sed separatæ, singulæ nullo negocio rumpebantur. Hasce ob cavssas, tantâ vehementiâ & tanto studio Apostolus ad concordiam exhortatur, dum scribit: Si qvæ igitur consolatio est in Christo, si qvod solatium charitatis, Si qvæ communio spiritus, si qvæ viscera ac miserationes: explete meum gavdium, ut itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes, unanimes & sententÿs uni. Nihil gerite per contentionem, avt per inanem gloriam, sed ex modestiâ alium

Syrac. 25.

Lucæ. 11.

Philip. 2.

qvisq; se præstantiorem existimet, ne sua qvisq; spectetis, sed unusqvisq; etiam qvæ sunt aliorum. Qvæ verba horum Regnorum gubernatores, ordines, ac status omnes semper oculis præfixa habeant, ne ulla discordiæ semina unqvam admittant, avt privatas cupiditates avt vindictas publicis commodis anteferant. Nostrum est etiam officium, pro eorum & totius Ecclesiæ unanimi concordiâ & pace Deum precibus solicitare, ut

Sint unum, doceant unum, fateantur & unum,
Qvi bene de Christi nomine nomen habent

5. *Dilectio* Superest adhuc Qvintum & ultimum, dilectio videlicet proximi, qvam etiam habendam supra monuimus, ne *IE-*
Psal. 10. *HOVA*, ut David conqveritur, stet in longinqvo, avt abscondat se tempore an-
Psalm. 13. gustiæ, Sed aspiciat & exavdiat nos, illuminet oculos nostros ne fortè dormiamus in morte, verum á venturis malis clementer eripiamur. Cum enim pater ille Cœlestis φιλάνθρωποσ sit, & à nobis in sua Le-
Levi. 19. ge exigat, ut diligamus proximum sicut
Matth. 7. nos ipsos: & omnia qvæ voluerimus ut faciant nobis homines, præstemus & illis,

Deo

Deo gratiſsimum eſt, ſi fides noſtra per charitatem erga proximum operetur, qvò *Galat.* 5.
inde omnes cognoſcant, qvod Chriſti di- *Iohan.* 13.
ſcipuli ſimus. Nam ut Divina bonitas, ſi hoc egerimus, nobis gratuitò condonat offenſas propter Chriſtum: & miſericor- *Matth.* 5.
des miſericordiam à Deo conſeqvuntur: Ita proximum odio perſeqventibus & injuriâ afficientibus, gratiam ſubtrahit, & juſticiæ ſuæ judicia in ipſis ſeverè puniendis exercet. Qvemadmodum clariſsima ſcripturæ teſtantur pronunciata: Si re- *Matth.* 6.
miſeritis hominibus offenſas ſuas, remittet & vobis pater cœleſtis. Sin avtem non remiſeritis hominibus ſuas offenſas, nec pater veſter cœleſtis remittet offenſas veſtras. Nam damnatio absq; miſericordiâ *Iacob.* 2.
erit ej, qvi non præſtiterit miſericordiam.
Lavate igitur vos, inqvit Dominus, mun- *Eſaiæ* 1.
di eſtote, removete malum operum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum: deſinite malefacere, diſcite benefacere, qværite judicium, dirigite oppreſſum, judicate pupillo, judicate viduæ. Sic & vobis, vult Dominus dicere, propitius ero. Si peccata veſtra fuerint tanqvam coccinum, veluti nix albeſcent, ſi fuerint rubra tanqvam vermiculus, velut lana alba erunt.

Hæc

Hæc proinde iſta Qvinq; Antidota, & veluti retinacula & adminicula ſunt, qvibus Deus à nobis placari vult, ne ob iniqvitates & transgreſsiones noſtras abitum moliri & furorem ſuum in nos effundere cogatur: qvibusq; imminentia mala præcaveri & averti poſſunt. Si igitur hæc ſedulò qvâ decet pietate totius vitæ curriculo fecerimus, res noſtræ in tuto ſunt, patrem propitium in cœlis habemus, qvi prævaricationes noſtras ſe deleturum

Eſai. 43. propter ſemetipſum, & peccatorum noſtrorum qvæ antehac nefario avſu deſignavimus, nunqvam recordaturum promittit. Si volueritis & avdieritis, ait Propheta, bonum terræ comedetis, ſi avtem

Eſaiæ. 1. renueritis, & irritaveritis, gladio devorabimini, qvia os *IEHOVÆ* locutum eſt.

Hactenus explicavimus doctrinas qvas prima cavſſa, cur *j*uſti maturè è medio tollantur, nobis ſuppeditat, nunc etiam conſolationem qvam hinc ſumendam diximus, breviter attingamus. Eſt avtem hæc, qvod licet *j*uſti mundo & impijs, qvi afflixerunt eos, & labores eorum re*j*jecerunt vitamq; eorum inſaniam exiſtimarunt, & exitum ignominioſum, perire videantur: tamen res longè aliter habet & coram

Pij p mortem liberantur omnibus malis.

Sapien. 5.

coram Deo, & cum ipsis qvi moriuntur. Nam in conspectu Dei pretiosa mors Sanctorum ejus, & ipsi non pereunt, sed colliguntur ut Esaias tradit, in portum cœlestis patriæ, ad veram vitam & plenam εὐδαιμονίαν, atq; ab infinitis miserĳs & malis, qvibus & nunc scatet mundus, & jamjam durius affligendus & plectendus est ob sua flagitia, avferuntur & liberantur, ne qvid detrimenti inde capiant. Qvantò igitur felicior ille, qvi cum *Psal. 116.*

Vnâ Evrusq; Notusq; ruunt, creberq; procellis,
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem,

Navigio in tranqvillum & tutum portum appulit, his qvi adhuc in medio mari, ventis & fluctibus, summo in vitæ periculo jactantur: tantò beatiores illis qvi in hoc mundi pelago, cum tot malorum Lærnis, summo vitæ salutisq; discrimine conflictantur, pĳ sunt qvi in portum æternæ vitæ collocantur, omnibusqve miserĳs eximuntur, ut reverâ illud, ἐπινίκιον Davidicum cum electorum animabus canere qveant: Revertere anima

mea

Psal. 116. mea in reqviem tuam, Qvia Dominus benefecit tibi. Qvia eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu: ambulabo coram Deo in terris vivorum. Non enim frustra eos
Apoc. 14. hoc Epitaphio, Iohannes in Apocalypsi proseqvitur: Beati mortui qvi in Domino moriuntur. Etiam dicit Spiritus qvoniam reqviescunt à laboribus suis, & opera eorum seqvuntur eos. Nam qvamvis
Roma. 16. mors per sese sit horribilis pœna, & pec-
1. *Cor.* 15. cati stipendium: tamen Christi morte absorpta est in victoriam, & fidelibus in bo-
Exod. 15. num commutata, non secus atq; injecto ligno, amaræ aqvæ dulces à Mose factæ
Philip. 1. sunt, ut ijs mori in Christo lucrum sit. Rectè siqvidem à Cypriano dictum est: Mors pijs est *janua* vitæ, victoria belli, portus maris. Et à Bernardo: Mors piorum, finis malorum, & *janua* ad vitam. Qvod nobis solatio esse debet, cum adversus propriæ mortis terrores, tùm luctus & dolores, qvos ex aliorum Deum timentium obitu concipimus.

2. *Cavß. cur pij inter- dum citius moriantur*

Avdivimus hactenus qvid de primo dicat Esaias, qvomodo nimirum *justi* à malis liberentur, dum è vitâ hac mortali evocantur: Audiamus nunc & posterius, qvod nimirum ad æternam pacem, & nun-

qvam

qvam finienda bona ingrediantur, ait enim: *Venit in pacem, reqviescent in cubilibus suis, qvi ambulant in æqvitate sua.*

Hæc altera cavssa esse potest, cur Deus justos & excellentes viros citiùs corpore mortalitatis exuat, qvod nimirum æterna pace & perpetuis gavdijs ac bonis, in cœlo electis præparatis, ipsos tandem propter Christum, uti frui velit, post momentaneas hujjus vitæ afflictiones, variasq; incommoda & mala, qvibus in mundi pelago jugiter jactati sunt, cum intimâ dilectione eos proseqvatur. Sicuti enim naturalis parens ἐυσοργία natum complectens, qvi in peregrinis regionibus procul à paternis laribus vitæ transigit curriculũ, si avdiverit eum á sceleratis & malevolis hominibus, qvotidie vexari, assiduisq; miserijs & calamitatibus premi, paterno amore & misericordiâ motus, non potest non illum in patriam, etiam opinione citiùs revocare, ut tandem hisce angustijs exemptus, bonis à patre ipsi deputatis fruatur: Sic Deus fideles, cum sint dilecti in dilecto, & prædestinati ut adoptentur in filios per Iesum Christum, maturius sæpè transfert in patriam illam cœlestem, ut in plenam possessionem bonorum eorum veni-

Pij ab obitu æternis bonis beantur.

Ephes. 1.

veniant, qvæ ipse tanqvam pater clementissimus præparavit diligentibus se, cum ipsorum calamitatibus familiariter afficiatur, qvibus indies affliguntur, dum ad-
2. Corin. 5. venæ sunt in corpore, & peregrè absunt à Domino, dumq; in hoc seculo nullam
Hebr. 13. manentem Civitatem habentes, futuram inqvirunt, & infinitas ærumnas, & mala à mundo, carnis luctâ, diaboliq; insidijs perpeti coguntur. ὁ βίος γὰρ ἀληθῶς οὐ
Syrac. 40. βίος, ἀλλὰ συμφορά. Siqvidem, Syracide teste, magnum negocium cujq; homini
Vitæ hujus miseria. destinatum est, & grave jugum posteris Adami, jam inde à die qvo ex utero matris extiterunt, usq; ad eum qvo ad terram communem omnium matrem revertuntur. Cogitationes eorum dico, metumq; animi, tum solicitas rerum expectationes, ac mortis diem: ab eo qvi sedet in solio majjestatis, usq; ad eum qvi humi, atq; in pulvere abjectus jacet, ab eo qvi gestat hyacinthina, coronamq;, usq; ad eum qvi crudo lino vestitus est. Indignatio, æmulatio, perturbatio, commotio, formido mortis, iracundia, simultas, atq; tempore qvietis, nocturnus in cubili somnus, mentem cujjusq; variè afficiunt, parum, ac propè nihil datur qvieti. Deindè in somnis qvasi in speculis excubaret, animi sui ima-
gina-

ginatione perturbatur. Et velut qvi è conspectu prælij avfugerit, excitatur tempore salutis suæ, vanumq; terrorem admiratur. ut non frustrà nec de nihilo dixisse videatur ille:

Οὐ μὲν γὰρ τὶ πȣ ἐςὶν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς,
πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Et Moses in suo cantico: dies añorum no- *Psalm. 90.*
strorum qvibus vivimus septuaginta anni, avt ad summum octoginta anni, è qvibus qvod optimum est, molestia & labor est.

Qvamobrem cum illi qvi primitias spiritus habent, Pavlo teste, apud se- *Roma. 8.*
metipsos qvotidiè suspirent, adoptionem expectantes, id est redemptionẽ corporis sui, & coarctentur utrinq; desiderantes esse *Philip. 1.*
cum Christo, *IEHOVA* qvi veluti pater *Psal. 103.*
filiorum, ita miseretur timentium se, solicitis eorum votis tandem satisfacit, & in veram ac stabilem qvietem eos recolligit, inqve regna paterna evocat, ut obtineant bona illa qvæ suis filijs præparavit. Hanc cavssam inter alias asignare videtur liber Sapientiæ, cur videlicet breviora inter- *Sapien. 4.*
dum vitæ spatia pijs sint præfixa, & immaturâ morte (ut homines existimant) in terris esse desinant, ait qvippe: Qvoniam Deo ille placuit, charus ei fuit, & qvum inter peccatores viveret, translatus

est. Et pavlò post, placebat Deo anima illius, qvapropter propere excessit de medio pravitatis.

Observandum avtem Prophetam hoc loco docere, qvam beatæ sint filiorum Dei conditiones post mortem, ad confirmationem fidei & consolationem omnium nostrûm.

Piarum animarum post hanc vitam beatitudo.

Primùm enim si rogas qvid de beatorum animabus fiat? respondet, *venit in pacem.* Nam pacem qvam in carne & in hoc mundo conseqvi non potuerunt, cum hic semper sint foris pugnæ, intus pa-
2. Cor: 7. vores, solutæ à corporibus, & collectæ in consortium Sanctorum in cœlis abundè adipiscuntur.

Significat avtem pax, æternam vitam, & ineffabilia ista bona de qvibus Pavlus
1. Cor: 2. post Esaiam ait: Oculus non vidit, avris
Esai. 64. non avdivit, nec in mentem homini venerunt, qvæ paravit Deus diligentibus
Psalm. 84. ipsum. Non enim privabit bonis eos qvi
Sap. 3. ambulant in innocentia: Et animæ *justorum* in manu Dei sunt, ubi non tangit eos tormentum: ubi absterfurus est omnem la-
Apoc. 21. chrymam ab oculis eorum, & mors non amplius extabit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit amplius qvia prima abie-
Apoc. 7. runt. Nam sunt ante thronum Dei, & ser-

viunt

viunt ej die ac nocte in templo *ejjus*, & qvi insidet throno habitabit cum eis. Non esurient neq; sitient amplius, nec in eos incidet sol, neq; ullus æstus, qvoniam agnus qvi in medio throni est pascet eos, & deducet ad vivos fontes aqvarum. Nec ullum maledictum erit amplius, sed videbunt faciem Dei, & nomen *ejjus* in frontibus ipsorum erit. Et nox illic non extabit, neq; opus erit eis lumine lucernæ, neq; solis splendore, qvoniam Dominus Deus illustrat ipsos, & regnabunt in secula seculorum: & Deus erit omnia in omnibus. *Apoc. 22.* *1. Cor: 15.*

Secundò, Si verò de beatorum exanimis corporibus rogas qvid eis post mortem accidat? Respondet Esaias, *Reqviescent in cubilibus,* id est in sepulchris suis, *Qvi ambulant in æqvitate suâ,* hoc est, qvi ita vitam traducunt, ut militent bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, & ab aliorum injuria abstinentes non opprimant avt circumveniant in negotio fratrem suum, sed serviant Deo in justiciâ & sanctitate omnibus diebus vitæ suæ, illi qvando fatis concedunt, liberantur ab omnibus doloribus & ærumnis, & in sepulchra tanqvam cubicula, ad dormiendum & qviescendum reconduntur. Notanda avtem est elegantissima Meta- *Corporum post mortem conditio.* *1. Tim. 1.* *1. Thess. 4.* *Luc. 1.*

 phora,

2. Reg. 2. 11. phora, qvâ mortem Sanctorum qvietem
Iohan. 11. sive somnum, ut scriptura alibi passim, se-
Matth. 9. pulchra verò cubilia nominat, cum in hisce
Mors som- dulcissima adversus mortem insit conso-
no similis. latio. Sicut enim corpora nostra, laboribus curis & molestijs defatigata, in cubiculis ad qvietem reponimus, & somno damus, qvi ea non cruciat, non extingvit, non in nihilum redigit, sed in qviete detinet donec exoriatur dies, ut tum adveniente sole, refocillatis & recreatis viribus, ad operas suas & officij munia peragenda melius disposita & magis idonea surgant & prodeant: Ita mors piorum corpora non perdit, nec in perpetuum & omninò in nihilum redigit, sed doloribus, ægritudinibus & hujus vitæ ærumnis fracta & defessa, ad qvietem colligit, ut sepulturæ mandata, ac veluti in cubilia reposita, usq; ad diem judicij reqviescant, qvo adveni-
1. Thes. 4. ente sole justiciæ Christo, cum tubâ Dei, voce archangeli, & exhortationis clamore resurgant, & animabus suis conjungan-
1. Cor. 15. tur, non ut seminantur corruptioni obnoxia, ignominiosa, infirma & animalia, sed incorruptibilia, gloriosa, potentia, spiri-
Philip. 3. tualia, clarificata, & conformia glorioso corpori Christi, ut magis apta sint, ad lavdes Dei celebrandas, & canendas in omnem æternitatem.

Faci-

Faciunt hæc non tantum ad comprobandam & illustrandam doctrinam de animarum immortalitate, & corporum resurrectione, sed etiam ad fugandum & expellendum ex animis metum & terrores mortis, certaq; solatia nobis subministrant, adversus gravissimum dolorem, qvem ex luctuoso funere serenissimæ Regiæ Majjestatis concepimus, omniaq; adversa qvæ miseram in hoc mundo vitam reddunt. Discimus enim mortem piis nihil damni inferre, sed commoditatis plurimum, vereque lucrum esse in Christo, cum sit qvies laborum, finis malorum, victoria belli, portus maris, janua vitæ, qva à miseriis infinitis, ad nunqvam peritura gavdia & bona: à mortalitate ad immortalitatem & vitam æternam ingredimur, cum hujjus vitæ calamitatibus satis superq; defatigati sumus. Qvamobrem Christus ait: Amen Amen dico vobis, Qvi Sermonem meum avdit, & credit ej qvi misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transivit à morte in vitam. Verè igitur beati qvi in Domino, hoc est in fide, invocatione, & confessione Iesu Christi moriuntur. Horum enim animæ non solum omnis mali, doloris & molestiæ expertes, in summa & ineffabili εὐδαιμονίᾳ fœli-

Consolatio adversus mortē, & obitum Regis.

Philip. 1.

Ioh. 5.

Apoc. 14.

fœlicitate & læticia apud Deum vivunt,
1. *Ioh.* 3. eumq́ꝫ à facie ad faciem sicuti est, vident in regno cœlorum: Verumetiam corpora, licet sepulta, non tamen prorsus interierunt, sed veluti sopita, ab omnibus laboribus & curis, in suis κοιμητηρίοις, suaviter reqviescunt, resuscitanda, & in eandem cum animabus beatitudinem ad extremum filij Dei adventum inferenda.

Prudentius in exeqvijs.

Nam qvod reqviescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetant collegia sensus.
Venient citò secula cum jam,
Socius calor ossa revisat,
Animataq́ sangvine vivo
Habitacula pristina gestet.
Qvæ pigra cadavera pridem,
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in avras,
Animas comitata priores.

Iohan. 5. Qvod sanè futurum est qvando venerit hora, in qva omnes qvi sunt in monumentis, avdient vocem filij Dei: expergiscimini & lavdate, qvi habitatis in pulvere. (*Esaiæ.* 26.) Tum enim prodibunt qvi bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qvi vero malè egerunt, (*Iohan.* 5.)

runt,

runt, in resurrectionem condemnationis.
Et dicent sancti in die illa: Ecce Deus no- *Esaiæ.* 25.
ster ille est, expectavimus eum, & servabit nos: iste *IEHOVA* expectavimus
eum, exultabimus & lætabimur in salute
ejus.

Cum itaq; Serenissimus Rex noster
in totâ vitâ, Deum verâ pietate & fide coluerit, verbi divini amantissimus, Religionis conservator, & Ecclesiæ ac Scholarum nutricius fidelissimus: æqvi ac justi in tota gubernatione observantissimus fuerit, atq; in vera filij Dei invocatione diem placidè obiverit, qvam beatâ sorte nunc fruatur, ne qvidem ā nobis cogitari,
ne dum dici potest. Anima ipsius in ma- *Sapien.* 3.
num Dei & sinum Abrahæ per sanctos *Lucæ.* 16.
Angelos translata, in cœlesti gavdio coram Deo triumphat: fœlices corporis exuviæ, omnis acerbitatis & ærumnarum vacuæ, mollissimè qviescunt, donec dormientes in pulvere terræ expergiscentur, ad extremæ tubæ clangorem. Tunc enim redibunt ad animam suam, & (ut
Daniel docet) tanqvam stellæ in seculum *Dani.* 12.
& in æternum fulgebunt. Nostra itaq; detrimenta & incommoda, ac ingratitudinem deploremus, qvod tali ac tanto principe & patre patriæ longiori tempore frui

havd digni fuerimus: illius verò felicitatem benevolentiâ potius qvam mœrore proseqvamur.

Deindè ex prædictis nos ipsos consolemur, ne tantoperè mortis cogitatione avt conspectu exhorrescamus, ut vulgo solent homines, Sed potius cum Simeone
Lucæ. 2. à Domino in pace dimitti, & cum Pavlo
Philip. 3. dissolvi & esse cum Christo cupiamus.
Cum mors finis sit omnium malorum, & initium veræ beatitudinis, æternæqꝫ vitæ
Tit. 3. aditus, omnibus qvi crediderunt Deo, & student bona opera tueri, ac expetunt illustrem Domini adventum. Scimus enim
2. *Cor.* 5. qvod si terrestris hujjus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habemus, domicilium scilicet non manu factum æternum in cœlis.

Solatium adversus hujjus vitæ miserias. Postremò petamus & hinc solatia adversus qvasvis hujjus vitæ afflictiones, calamitates & pericula, statuentes minimè paria esse, qvæ præsenti seculo perpetimur futuræ gloriæ nobis revelan-
Roma. 8. dæ, præsertim cum mala hæc brevissima
Iacob. 4. existant, & vita nostra sit vapor qvi ad exiguum tempus apparet, & deinde eva-
2. *Cor.* 4. nescit: ac momentanea levitas oppressionis nostræ, excellenter pondus æternum gloriæ nobis conficiat. Qvoniam *justi*
vivent

vivent in perpetuum, eorumq; merces *Sapien.* 5.
apud Dominum asservatur, & cura de ĳs
suscepta apud altissimum. Qvamobrem
regnum præclarum adipiscentur & diade-
ma pulcherrimum à manu Domini. Ne
frangamur itaq; animis: nec inpatientiâ
obmurmuremus Deo, si qvando ingrue-
rint adversa: sed ærumnarum brevitate,
& spe promissæ liberationis, vitæ æternæ,
ac resurrectionis & glorificationis corpo-
rum, nos erigentes, humiliemur sub po- *1. Pet.* 5.
tenti manu Dei, ut nos in tempore extol-
lat, omni curâ in eum conjectâ, cum illi
curæ simus: Et cum Davide dicamus: *IE-* *Psal.* 27.
HOVA Lux mea, & salus mea à qvo ti-
mebo? *IEHOVA* fortitudo vitæ meæ,
à qvo pavebo? Si posuerint adversum
me castra, non timebit cor meum, Si con-
surgat adversum me bellum hujc ego fido.
defecissem nisi credidissem me visurum
bonitatem *IEHOVÆ* in terrâ viven-
tium. Cur igitur dejecta es anima mea, & *Psal.* 42.
cur personas in me? expecta Deum qvia
adhuc confitebor ej, qvod sit salus vultus
mei, & Deus meus. Non enim solum De-
us avxilium & liberationem in hoc mundo
se invocantibus promisit, cum non dese- *Psal.* 50.
rat in seculum: Sed si dolore affecerit, *Thren.* 3.
tursum misereatur, secundum multitudi-
 nem

1. Cor: 10. nem miſerationum ſuarum, nec ſinat nos tentari ſupra id qvod poſſumus, ſed una cum tentatione largiatur eventum, ut qveamus ſufferre: Verùm etiam poſtqvam
Iacob. 1. probati fuerimus, accipiamus coronam vitæ, qvam promiſit Deus ĳs qvi dilectione eum proſeqvuntur. ut ſicuti in mun-
Rom. 8. do cum Chriſto patimur, & conformes afflictionum ejjus ſumus: ita cum eo in cœlis conglorificemur, & ej conformes reddamur in fruitione æternæ fœlicitatis
1. Pet: 4. & beatitudinis in regno Dei, & in revelatione gloriæ ejjus gavdeamus, exultantes.

Hic etenim principalis finis eſt, qvem Deus in omni piorum caſtigatione & probatione ſibi propoſitum habet.
in Pſa. 60. Namq; vita noſtra, ut Avguſtinus ſcribit, in hac peregrinatione, non poteſt eſſe ſine tentatione, qvia profectus noſter per tentationem noſtram fit: nec ſibi qviſq; innoteſcit niſi tentatus, nec poteſt coronari niſi vicerit, nec poteſt vincere niſi certaverit, nec poteſt certare niſi inimicum & tentationes habuerit. Qvamobrem variarum afflictionum & dolorum certamina nos experiri, dum hujjus vitæ uſum capimus, Divina vult bonitas, & providentia, ut mortificato veteri Adamo,

cum

cum ſuis concupiſcentiis, & tentationibus ac ærumnis, fide, precibus & patientiæ robore ſuperatis, ab eo glorioſâ vitæ coronâ ornari qveamus. Vndè ipſemet in Apocalypſi, ſuos ad conſtantiam & perſeverantiam hortatur inqviens: *Eſto fidelis* *Apoc. 2.*
uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, victor non lædetur à morte ſecunda.

Atq; hactenus ea fuerunt qvæ nos dicturos recepimus de hiſtoriâ vitæ, gubernationis regnorum, & mortis lavdatiſſimi Principis, ac feliciſsimæ recordationis Regis *FRIDERICI* Secundi, & de prophetiâ Eſaiæ in qva de mundi ſecuritate cæcitate & ἀναλγησία qveritur, cavſſasq; proponit, cur Deus pios & illuſtres viros citius à mortalium conſortio ſubducat, & qvam benè ac beatè cum illis actum ſit, commonſtrat. Plura & meliora in præſentia dicere, vetat non ſolùm temporis hujus, qvo circumſcribimur, anguſtia, verumetiam animi in hoc publico & graviſsimo omnium bonorum luctu, perturbatæ cogitationes.

O *DOMINE DEVS*, magne & *Dan. 9.*
metuende, qvi pactum clementiamq; ſervas erga tui amantes, & tua præcepta ſervantes, peccavimus, culpam commiſimus, impiè & contumaciter à tuis præceptis & inſti-

institutis deflectentes. Noxam nostram
Psalm. 51. agnoscimus, nostrumq; peccatum nobis semper obversatur. In te, in solum te peccavimus, teq; offendimus, ut dictorum tuorum æqvitas judiciiq; puritas appareat,
Psal. 119. Scimus igitur æqvas esse tuas sententias. nosq; rectè à te premi. justus es *IEHOVA*, rectaq; sunt tua judicia. Verùm ne
Psalm. 79. memineris iniqvitatum nostrarum priorum. Propera in nos uti tua misericordia, nam valdè sumus attenuati, succurre nobis, Deus, nostræ salutis, tui nominis gloriæ cavssa, nos libera, & nostris peccatis veniam da tui nominis gratia, propter fili-
Philip. 2. um tuum unigenitum, qvi factus est tibi obediens ad mortem, mortem avtem crucis, ut crimina nostra expiaret. Ne nos à
Psalm. 51. tuo conspectu rejice, neve nobis tuum
Psalm. 119. sanctum Spiritum avfer: nec nobis ex ore eripias verbum veritatis, sed sint & maneant hæc regna Ecclesiæ tuæ hospitia, in
Coloss. 3. qvibus Sermo Christi opulenter inhabitet, summâ cum Sapientiâ: Et tu instar
Iohan. 4. patris Cœlestis, in spiritu & veritate, à veris adoratoribus colaris & invoceris:
Philip. 2. nosq; omnes cum timore & tremore nostram salutem conficiamus.

Deindè cum tua reqvirant mandata, ut fiant precationes, orationes, & postulationes

tiones & gratiarum actiones, pro Regibus 1. Tim. 2.
& omnibus in dignitate aliqva constitu-
tis, te qvi pupillos & viduas sublevas, sup- *Psal. 146.*
plici mente oramus, ut serenissimam Regi-
nam *D. SOPHIAM* conserves, ejusq; bene-
dictionem concilies æternam, eam tui vul- *Psalm. 21.*
tus gavdio lætificans, & in hoc gravissimo
luctu & dolore, spiritu principali susten-
tans, qvo redditâ tuæ læticiâ defensionis *Psalm. 51.*
& avdito gavdio ac voluptate gratiæ ac
consolationis tuæ, exultent membra à te
contusa.

Illustrissimum qvoque Principem
Dominum *CHRISTIANVM IIII.* *Psalm. 21.*
qvem egregiis affecisti beneficiis, & cujus
capiti avream imposuisti coronam, dum
eum elegisti Regem populi tui, & judicem *Sapien. 9.*
filiorum ac filiarum tuarum, tuaq; provi-
dentiâ patri successor in regno designatus
est, erudi intellectu, & qva via ei sit eun- *Psalm. 32.*
dum ostende, ipsum regens. Ætatem ætati *Psalm. 61.*
Regis adjice, ut ejus anni perpetuentur se-
culis, habitetq; æternum apud Deum, sub
clementiæ fideiq; custodiâ: & fidelis Ec-
clesiæ nutricius fiat, populumq; tuum ex *Esai. 49.*
æqvo, inopes tuos ex jure olim judicet, *Psalm. 72.*
fravdatores confringens.

Te etiam precamur qvi nos orpha-
nos te non relicturum promisisti, ut libe-

ros

Pſalm. 91. ros Regios cæteros, tuâ alâ protegas, ſub-
qve pennis tuis cuſtodias, qvo filij qvidem
Pſal. 144. ſint creſcentibus ſimiles plantis in pueritiâ,
filiæ verò qvaſi angulares qvædam colum-
næ templi ſimilitudine inciſæ: & ſimul
Lucæ. 2. omnes Chriſti exemplo ſapientia & ætate
& gratia, cum apud Deum, tum apud ho-
mines proficiant.

Prover. 8. Præterea tibi, ſumme pater, cujus eſt
cõſilium, ſapientia & fortitudo, cviq; pru-
dentia es: per qvem Reges regnant, & gu-
bernatores *juſta* decernunt, toto pectore
ſupplicamus: ut illuſtres Dominos Prore-
ges, cum reliqvis ampliſsimis, generoſiſsi-
mis, & omnium virtutum lavde præſtan-
tiſsimis horum regnorum patribus ac Se-
natoribus, qvorum humeris gubernationis
onus poſt pientiſsimi Regis obitum impo-
Pſalm. 91. ſuiſti, oculis miſericordiæ aſpicias, ne qvid
mali ipſis accidat, neq; clades eorum do-
Sapient. 9. mum accedat. Demitte illis ſapientiam tu-
am ex ſacris cœlis & à tuo glorioſo ſolio:
mitte eam, ut præſtò cum eis laboret, intel-
ligantq; qvid tibi ſit gratum (novit enim
illa & proſpicit omnia) utq; ipſis in omni-
bus eorum actionibus, ita prudenter præ-
eat, ut in ſua gloria cuſtodiat, & accepta
ſint opera eorum tibi, tuumq; populum
juſtè dijudicent, tenues & egenos liberan-
tes,


tes, & ab impiorum defendentes injuria, qvò tranqvillam ac qvietam vitam agamus cum omni pietate ac honeſtate. *Pſalm.* 82. 1. *Tim.* 2.

Florentiſsima qvoq; harum terrarum Nobilitas, Magiſtratus omnes, cunctiq; regni ſtatus, ordines & cives, habitent in præſidio ſupremi Dei, & degant in omnipotentis umbra, ſtatuant *IEHOVAM* ſibi eſſe fiduciam, arcemq; & Deum cui confidant. Sanctifica eos & nos omnes, ô pater, in veritate tua, ut ſimus ſancti in omni vitâ, qvemadmodum tu ſanctus es: Et impietati mundaniſq; cupiditatibus vale dicto, frugaliter & juſtè pieq; vivamus in hoc ſeculo, expectantes ſperatam beatitudinem, adventumq; glorioſum magni Dei & ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti, qvo ejjus beneficio juſti facti, fiamus hæredes vitæ qvæ ſperatur æternæ. *Pſalm.* 91. *Iohan.* 17. 1. *Pet.* 2. *Tit.* 2. *Tit.* 3.

Tu *IEHOVA*, regna inter nos, ut exultet tellus, aſta in congregatione divinâ, in medio Deorum judicans, ne deſere nos, *IEHOVA* Deus noſter, ne nobis abeſto: Neve in jus nobiſcum qvi tui ſumus venito, nam coram te nemo mortalium abſolvetur. Noli in furore tuo in nos animadvertere, noli in irâ tua nos punire. Si etenim tu vitia obſervaveris, qvis ſuſtinebit? propera nobis ſuccurrere, ô Domine *Pſal.* 97. *Pſal.* 82. *Pſalm.* 38. *Pſal.* 143. *Pſalm.* 6. *Pſal.* 130.

mine

Zachar. 2. mine ſalus noſtra. Eſto nobis murus igne-
Pſal. 59. us per circuitum. Defende nos ab hoſti-
bus noſtris, contra noſtros infeſtos nos
protege. Nos verò tuam canemus poten-
tiam tuamq; benignitatem maturè lavda-
bimus, qvod nobis munimento perfugio-
qve fueris in periculoſis noſtris tempori-
Apoca. 7. bus. Benedictio & gloria, & ſapientia &
gratiarum actio, & honos & poten-
tia, & vires *DEO* noſtro in
perpetua ſecula.
Amen.



MEMORIÆ ET VIRTUTIBUS

SERENISSIMI ET PIENTISSIMI PRINCIPIS, DIVI FRIDERICI 2. Daniæ & Norrigiæ &c. Regis,

ad tumulum mœstus parentabat

NICOLAUS ARCTANDER
Nidrosiensis.



Anica qvi qvondam, FRIDERICE SECVNDE, gerebas
Sceptra, sed egregiâ nulli virtute Secundus,
Sicne petis cœlos, cœlestibus addite divis?
Sicne tuam linqvis Reginam? pignora casti
Conjugij? civesq́; tuos? qvi tristia fata
Incusant, luctuq́; tui testantur amorem
Ingenti, & mœsto ducunt suspiria fletu?
Scilicet hoc pietas, superis gratissima virtus
Efficit, & syncera Fides, qvæ sangvine Christi
Nititur, & pretio qvo mundi crimina solvit,
Rebus ut humanis demptus, novus incola posses,
In cœlo fieri, dapibusq́; accumbere Divûm.
Nos contra infandis peccatis noxia turba,
Indigni fuimus te tanto Principe, tantis

Virtutum numeris instructo munere summi
Iovæ, qui certis moderatur Legibus orbem.

Quas etenim segetes virtutum pagina sacra
Sceptrigeris ratione viris præscribit, ut altas
Imperij curas ampli, commissaq; regni
Munia, felices procurent omine dextro,
Has FRIDERICVS, avis, atavisq; potentibus ortus,
Eximijs, vivâ referebat imagine, donis.

Nam pietate Deum coluit, divina secutus
Mandata assiduè, studio contraria nunquam
Ad vitia inflexit sensus, nec turpibus ausis
Indulgens, fœdo maculavit crimine vitam.
Liber & humanus, nec turpi deditus unqvam
Lucro, magnanimus, mansvetus, providus, æqvus.

Adde qvòd & sapiens fuerit, pulcherrima re-
Cognitio, claram lustrabat lumine mentem. (rum,
Consilijsq; potens, prudenter maxima gessit
Marte, togâq; simul. Veri insuperabile numen,
Excoluit graviter, mendacia vana refellens,
Verba fidemq; levi non passus pingere fuco.
Os cordis sensus, ac sensa cor oris habebat.

Iusticiæ fido servavit pectore Leges,
Iudicijs æqvis solitus decernere cavssas.
Munera largiri meritis, & præmia, dignum
Rege putabat opus: Non capto munere justos

Con-

Condemnare viros, & noxâ absolvere sontes.
Hæc sunt insignem qvæ reddunt nomina Regem.
Sed qvid ago? tenui si coner dicere versu
Virtutes omnes, frustra numerare marinæ
Stultus aqvæ videar guttas, pelagiq; furentis
Turbine commoto, pulsent qvot littora fluctus.
Rex fuit ille qvidem, sed tantis dotibus avctus
Corporis & mentis: tam majjestate verendus:
Vt meritò Regem summo fateamur Olympo
Donatum regnis nostris, qvi rore benigno
Aspersus Divûm, cœlesti numine pectus
Implevit, tristes ut qvos Ecclesia casus
Sustinet in mundi pelago, violentibus acta
Insidijs, posset gratâ lenire medelâ,
Rebus & humanis operâ succurrere lapsis.
Sed lachrymæ includunt meditanti plurima vocem,
Et tenues rumpunt lavdes. Pater optime rerum,
Ne scelerum memori vindictam mente reposcas
A miseris, rigidâ nec vitæ crimina lance
Excutias: clemens sed nostris annue votis.
Da veniam factis: & qvæ nos dira pericla
Exercent, avt dura manent, atq; aspera fata
Propitius depelle precor: Ne Lerna malorum
Funditus extirpet nostram cum nomine gentem.
Tu juvenem tanto prognatum Rege, paterno
Qvi residet solio, magni spes altera regni,

Virtutum eximijs verarum dotibus auge,
Felicem ſervans longævi in Neſtoris annos.
Vt regat hic patriæ patrijs virtutibus urbes,
Ac pietate gerat ſe dignum nomine Chriſti,
Et queat everſo tandem ſuccurrere mundo.
Sint tibi res curæ Procerum, ſanctiq; Senatus
Regnorum: coëant placido præcordia motu,
Et pacis ſectentur opus, ſic ſenſibus uni,
Ne diſcors unqvam turbet ſententia mentes.
Sint unum, ſtatuant unum, meditentur & unum,
Relligióne, animiſq́; pares. Spirabile numen
Pectora colluſtret ſapienti lumine, rebus
Vt proprijs ſemper præponant commoda regni,
Iuſticiamq́; colant, juncto pietatis amore.



ALIA

ALIA PARENTATIO DE EODEM AVTORIS EIIVSDEM.


Hîc pietas, hîc sancta fides, sapientia, virtus,
Et fortitudo bellica,
In tumulo, tenui reqviescũt pulvere tectæ,
Premente mortis impetu.
Corporis exuvias etenim prope busta parentis,
Hac collocavit urnulâ,
Danica qvi tenuit FRIDERICVS sceptra secundus,
Verè secundus nemini.
Is PIETATE Dei coluit venerabile numen
Totus fideli pectore.
Relligionis amans, divini dogmata verbi
Amplexus est fiduciâ
Cordis, & in Christi delicta cruore piata
Persvasus ipse credidit.
CONSILIIS, etiam rerum moderatus habenas,
Prudentiâ plenissimis,
Imperio multum provexit commoda Regni,
Ecclesiæ & pomæria.
VIRTVTVM studijs tantum caput extulit, unus
Exemplar ut mortalibus
Principis eximij tribuat. Strictissima jura
Sic miscuit clementiâ,
Ne sontes ferrent impunè enormia facta,
Morumq; turpidinem:

Nec tamen ad rigidam nimium sua crimina lancem
Punita possent conqveri.
Virtutem si qvis multo sudore parabat,
Expertus est hîc præmia,
Iusticiæ, nunqvam fuscabant munera, vultus:
Nec æqvitatem judicis
Flectebant hominum respectus. Crimina cavssam
Gravant, sed innocentia
Sublevat, atq; reum solvit formidine pœnæ,
Actoris & calumniâ.
DIVITIÆ PACIS tribuebant nomen & omen
Hujc Principi clarissimo.
Pacis amans etenim non in discrimina Martis,
Belli perosus semina,
Sponte suâ cives conjecit. Marte petitus
HEROS erat FORTISSIMVS.
Vt Leo terribilis prædas agitare cruentas
Assvevit uncis ungvibus:
Sic FRIDERICVS ovans prostravit fulmine belli,
Fregitq; vires hostium,
Magnanimiq; Ducis meruit præconia, promptus
Armis, manu & prudentiâ.
Hev pietas, hev sancta fides, Sapientia, virtus
Hev fortitudo bellica,
Hoc igitur tumulo reqviescunt, obruta fatis,
Terræq; pressa cespite.

Non

Non tamen hæc fatis cedunt, terrâvé teguntur,
Tanto gravata pondere,
Vivida qvin ſemper florebit fama, virumq́;
Cum maximis virtutibus,
Sydera dum lucent, dum cœlos Luna pererrat,
Seris dicabit poſteris.
Oſſa capit tumulus, virtutis gloria, mundum,
Et fama complet inclyta.
Spiritus aſtra colit, ſuperum lætiſsima regna,
Malis levatus omnibus.
Noſtra igitur fusè qvamvis incommoda flemus,
Patremq́; demptum patriæ:
Sors tamen hæc Regi nobis gratanda beata eſt,
Et triſte dicendum Vale.





CLARISSIMI

POETÆ IO-
HANNIS STIGELII


COMMENTATIO IN XXIII. Psalmum

Dominus est pastor meus &c.



VVITEBERGÆ

ANNO M. D. LXXII.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

CLARISSIMO
ET ORNATISSIMO VIRO, PIETATE, ERUDItione, virtute ac dignitate præstanti Domino Christophoro Leuschnero, Artis Medicæ Doctori in urbe Misena celeberrimo, amico & patrono suo reuerenter colendo,

STEPHANUS RICCIUS Senior, S. P. D.

HAUD scio an pijs mentibus, vel propter doctrinæ copiam, vel propter consolationis ubertatem, gratius esse quidquam possit, quam εἰδύλλιον seu carmen Dauidis, quo in Psalmo vicesimo tertio dulcißimè pingit Pastorem nostrum fide præstantem: & liberalißimum conuiuatorem: filium Dei, qui nos miseros & imbecilles, tanquam ouiculas pendentes de suis humeris clementer gestat & seruat, & fame ac siti confectos reficit lætißimis epulis.

Quanquam enim multæ sunt imagines in sacris literis paßim obuiæ, quibus pingitur χρηστότης καὶ φιλανθρωπία filij Dei, tamen nihil est amabilius, nihil quod magis alliciat pios ad fidem & gratitudinem, quàm cum filio Dei Domino nostro Iesu Christo (Quem Dauid alibi dicit aspicere nos in forma hominis, cum sit Iehoua, Deus in excelsis) Persona Pastoris fidelißimi, & hospitis benignißimi imponitur, Etenim officia Pastoris

ſunt ducere gregem in paſcua & potare ſalubri aqua. Deinde regere ac gubernare gregem, ne aberrent ouiculæ à recta via, & in paludes aut foſſas præcipitentur, aut in locis auijs pereant. Præterea defendere imbecilles oues aduerſus rabiem luporum graſſantium. Deniq; medicas adhibere manus ad morbos ægrotantium ouicularum. Hæc ingentia beneficia aßiduè præſtat Eccleſiæ vniuerſæ & pijs ſingulis, filius Dei, Qui primum paſcit & potat nos voce Euangelij, & conſcientias afflictas ſuauiter recreat vſu Sacramentorũ, quæ ſunt certißima pignora & Sigilla iuſticiæ fidei, & ne hoc miniſteriũ per quod colligitur Deo æterna Eccleſia, vllo vnquam tempore deleatur, ſubinde excitat doctores idoneos, eoſq; donis inſtruit, neceſſarijs ad doctrinæ explicationem & propagationem.

Ad hoc beneficium adiungit alterum bonum, quod nulla oratione ſatis celebrari poteſt, Regit .n. nos ſpiritu ſancto, vt aliqua Deo grata facere poſſimus, hoc eſt, vt Deum vere agnoſcamus & inuocemus, verè ei credamus, & gratias agamus & obediamus in vocatione & ærumnis. Nã ſine hoc gubernatore mentis, voluntatis & cordis, quem promiſit ſe daturum petentibus, homines, tum à Diabolo faſcinati, tum corruptæ naturæ prauis inclinationibus impulſi, tum illecebris & exemplis mundi incitati, facile ruunt in Epicureos furores, aut in alios errores fanaticos. Ruunt item in tragica ſcelera & calamitates inextricabiles,

vt

vt historiæ summorum virorum ostendũt, qui orbati hoc duce horribilibus probris deformati sunt.

Addit autem filius Dei & tertium beneficium. Cum enim immani & inexplebili odio Dei et Ecclesiæ ardeat infensissimus hostis generis humani Diabolus, & omnia in perniciem piorum agat & moliatur, & habeat sua organa, Tyrannos, hæreticos, & falsos fratres, qui omnes artes nocendi sciunt astutissimè, nec solùm vi manifesta, sed etiam fraudibus & insidijs aduersus innocentes sæuiunt: Reprimit hunc grassatorem filius Dei, & ipsius organa, ne possint omnem odij sui acerbitatem explere aduersus Ecclesiam, & potenti sua manu, & castorum angelorum præsidio munit, tuetur, ac seruat seriò inuocantes ipsum. Postremo & officio Medici fungitur in sanandis nostris vulneribus, hoc est peccatis & calamitatibus. Non .n. abijcit nos oues pascuæ suæ propter infirmitates, Sed & peccata agentibus pœnitentiam remittit, & pœnas meritas immensa bonitate lenit ac mitigat. Cũq; velit aliquantisper Ecclesiã superstitẽ esse etiã in hac vita benignissime his omnib. velut ἐπίσαγμα adijcit huius vitæ adminicula fœcunditatem terræ & animantium, bonam valetudinẽ: victũ, amictum, hospitia mediocria, pacẽ, salutares Principes, tranquilla & suauia coniugia, dona necessaria in vocatione, felicitatem consiliorum, incolumitatem liberorum, Denicq; alia bona huic vitæ necessaria, quæ sunt innumerabilia. Quid hac imagine Pastoris, cogitari aut dici suaui-

us potest? Sed dulcis est & altera imago, In qua David picturam proponit hospitis seu conuiuatoris, liberaliter inuitantis amicos ad conuiuiũ. Solet hospes locuples ac liberalis opiparo apparatu excipere inuitatos ad Cœnam, nec solum cibis lautioribus mensam onerare, Sed etiam potu largiori inuitare ad hilaritatem hospites studet, Moris quoq; erat in Oriente, vt, quoniam magna ibi copia erat rerum fragrantium, remotis mensis, Balsamo precioso perfunderentur conuiuæ, vt odoris fragrantia spiritus cordis ac cerebri suauiter reficerentur ac recrearentur. Hæc ipsa præstari nobis large effuseq; à filio Dei, dulcißimè docet imago hospitis, quam Christo Domino nostro David iurè ac meritò tribuit. Hic enim corpora nostra per omnem vitam in his terris alit & auget magna copia & varietate rerum, quæ partim ad victũ, partim ad voluptatem pertinẽt, sicut copiose Psal. 104. dicitur: Producis panem ex terra, vt confortetur cor hominis, & vinum das vt lætificet cor hominis, & oleum largiris, vt formosa sit facies hominis. Idem etiam animas nostras cibo & potu spirituali reficit & recreat, & quidẽ seipsum nobis manducandum & bibendum exhibet, iuxta concionem, quæ in cap. 6. Iohan. recitatur: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. His epulis lautißimis addit insuper donationem Spiritus sancti, qui rectè confertur ac comparatur Balsamo saluberrimo.

Hæ dulcißimæ picturæ vt multos ad fidem exus-

exuſcitent, paßim in hoc breui Pſalmo inſeruntur voces ad ſingulorum vſum accommodantes beneficia filij Dei. Quid enim ad confirmandos nos miſeros & ærumnoſos dici poteſt efficacius? quàm quod Dauid mox in primo verſu hoc argumentū firmißima conſequentia contextum proponit: Dominus Paſtor meus, nihil mihi deerit. Quid hoc Epinicio animoſius? Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo. Quid voto illo, quo Pſalmum concludit, ardentius? Vtinam bonitas & miſericordia perſequantur me omnibus diebus vitæ meæ, & reuertar in domum Dei in longitudine dierum. Precatur Dauid non ſolum, vt in hac vita ſuppeditentur bona neceſſaria animæ & corpori, ſed etiā toto pectore optat, vt perpetuo ſit & maneat viuum membrum veræ Eccleſiæ Dei, & tandem transferatur in æterna tabernacula, vbi Deus erit omnia in omnibus.

Hæc de ſumma Pſalmi 23. ideo hoc loco recitanda eſſe duxi, vt & meipſum & alios ad piam cogitationem de immenſis beneficijs filij Dei tum corporalibus, tum ſpiritualibus exuſcitarem, ac lectoris animum veluti præpararem ad ſtudium cognoſcendi eruditißimam in hunc Pſalmū commentationem & viri & Poetæ optimi, Domini Stigelij piæ memoriæ, quam ante annos decem & octo in Schola Ienenſi ab illo dictatam, neq; in lucem hactenus à quoquam editam, publicare hoc tempore ad iuuanda diſcentium ſtudia volui. Non dicam de laudibus huius ſummi viri, qui

non videri, sed esse bonus studebat. Neque de præstantibus ingenij, & doctrinæ illius dotibus commemorabo quicquam prolixius, cum & memoria virtutum ipsius apud bonos omnes victura sit perpetuo, & ipsius opera, propter vim ingenij & splendorem ac elegantiam, quæ in carminibus eius elucet, magno in precio sint, & habeantur apud doctos non in Germania solum, verum etiam in regionibus exteris, Sed vnum est ex præcipuis viri tanti scriptis, hic eruditißimus Commentarius in Psalmum 23. Qui & copia rerum optimarum abundat, & quanto vir ille ingenio & eruditione, & eloquentia ornatus fuerit, lucidè, non obscure declarat.

Hunc quia primus nunc in lucem edo, Tuæ præstantiæ, Clarißime Domine Doctor Christophore, dedicare & consecrare visum est. Cùm enim ante annos, plures quam trigintain inclyta VVitebergensi Academia: sincerioris religionis, & optimarum linguarum & artium instauratrice, penè puer. priuata mea institutione aliqua ex parte vsus sis, semper equidem ab eo vsq; tempore te dilexi. Et postquam Deus te ad dignitates & honores, quibus propter doctrinam, fidem ac virtutem es dignißimus, euexit, etiam propter dona Dei eximia, quæ in te contulit, & propter pietatem & candorem tuum ex animo sincero, & tui amantißimo te veneratus sum. Te verò,

mei

mei etiam memoriam gratam perpetuò conseruasse plurima tua erga me officia & beneficia, quæ mihi abunde & sæpè præstitisti, testantur. Huius igitur coniunctionis nostræ, & verò etiam amoris & obseruantiæ, & gratitudinis meæ publicum μνημόσυνον esse cupio, hanc ad te compellationem, & eruditissimi commentarij D. Stigelij dedicationem. Nam cum Senex iam & priuatis ac publicis mœroribus exhaustus, ac tantum non consumptus, de alia secutura vita, In qua aliquando suauius amicitia nostra in æterna consuetudine cum pijs & electis omnibus, coram Domino nostro Iesu Christo, fruemur, quotidie cogitem, meque ad exitum ex hac ærumnosa & tristi lachrymarum valle præparem, libenter hoc testimonium nostræ amicitiæ mutuæ post obitum meum relinquo, vt ostendam me planè confidere, Te beneuolentiam & affectionem humanissimã, qua me viuentem complexus es, erga meos quoq; liberos, quos tibi commendo fidelissime conseruaturum esse.

Spero autem propter clarissimum virum, Dominum Stigelium, gratum tibi futurum esse hoc studium meum, & cum non modo in arte Medica, sed in omni Philosophia excellas, delectationẽ etiam afferet tibi lectio huius doctissimi Commentarij, In quo non tantum Theologica, sed etiam Philosophica multa eruditissimè ac breuissime eleganti Oratione explicata reperies.

Bene

Bene & feliciter vale, Vir ornatißime, & hanc significationem mei erga te amoris & obseruantiæ, pro humanitate tua præstanti & eximia in optimam partem accipe. Perscriptum Dominica Misericordias Domini, qua Ecclesia publice Concionem Christi, de bono Pastore recitat, Anno Christi 1572.



PSAL.

PSALMVS XXIII.

Dominus est Pastor meus.

AVTORE
EOBANO HESSO.

ARGVMENTVM VITI THEOD.

Est mirè suauis & elegans Psalmus, in quo prædicat beneficia, & pro ijs gratias agit, quibus Deus Ecclesiam suam cumulat, quod eam sicut pastor ouem, verbo pascit, consolatur, gubernat, ac tuetur.

ARGVMENTVM EOBANI.

Dona Dei agnoscens & sacri munera verbi,
Ambulat & recta ducitur ille via.
Non secus hunc, ac pastor ouem, si forsan aberret,
In sua restituit pascua vera Deus.

PSALMVS DAVID.

NVlla petendarum mihi deerit copia rerum,
Pascit vt innocuas me Deus inter oues.

 Per

Per loca me ſtatuit viridantibus herbida pratis,
Ducit & ad riuos lene fluentis aquæ.
Collapſas animi vires mihi reddit, & ipſum
Iuſtificæ ducit per loca tuta viæ.
Ipſius vt videam verarum nomina laudum,
Hoc duce tam felix hæc mihi trita via eſt.
Siue per obſcuras vmbris loca condita valles,
Semita ſit pedibus conſicienda meis.
Non metuam, quia te duce nulla pericla nocebunt.
Me baculi ſeruat virga timenda tui.
Diuitis apponis mihi ſplendida fercula cœnæ,
Vt doleat ſpectans talia liuor edax.
Balſameo caput vnxiſti mihi pingue liquore,
Vbere fudiſti pocula plena mero.
Quin tua me clemens pietas & cura ſequentur,
Donec in hoc aliquis corpore ſanguis erit.
Ipſe quidem Domini ſublimia templa tenebo,
Cultor & huic longo tempore fidus ero.



PSAL.

PSALMVS XXIII.

Deus est Pastor meus,

AVTORE

IOANNE STIGELIO.

ARGVMENTVM.

Prædicat suauißima pictura pastoris & oui-culæ, mox etiam apparatus regij conuiuij, tum spiritualia, tum corporalia beneficia Dei, omnemq; prouidentiæ diuinæ bonitatem & munificentiam erga eos, qui verbo diuino renati atq; illustrati, Deum verè timent & celebrant.

PSALMVS DAVID.

ET Deus est pastor meus, & me ducit euntem,
Eius & ad nutum pabula sector ouis.
Hoc præsente mihi contagia nulla nocebunt,
Nil mihi præsidij, copia nulla deest.
Namq; vagam reuocans in pascua pinguia misit,
Et læto irrigui gramine pascit agri.
Fontis & illimes ad aquas deduxit amœni,
Vnde aura optati grata vigoris abit.
Hic mihi languentes instaurat suauiter artus,
Hic animæ recreat viscera tota meæ.

Ille mihi custos, recto me tramite ducit,
Iusticiæ tutum, qua via monstrat, iter.
Nomen et iustus, causa mihi nominis vltro
Iusticiæ donat robur & arma suæ.
Hinc etiam mortis si cæca in valle vagabor,
Militiæ metuam nulla pericla meæ.
Tu quoniam mecum Deus es, tu pastor euntem,
Et tegis, & tuto tramite ducis ouem.
Vera mihi præbent dulci solatia fructu
Virga tua & baculus muneris arma tui.
Virga tua & baculus, verbi diuina potestas,
Ferrea quod subito corda tremore quatit.
Hæc ego dum lætor, te sic curante parata est,
Ante oculos splendens regia mensa meos,
Scilicet vt videant, intabescantq; videndo,
Qui mihi perniciem nocte dieq; parant.
Tu mea Balsamea perfundis tempora Nardo,
Vnde abit in totum cor mihi suauis odor.
Addo, quod & latices mihi te miscente salubres,
Mensura est calicis, plena fluensq; mei.
Ergo ego dum carpam concessæ pabula vitæ,
Donec in hac mundi fece superstes ero.
Me tua contiguo præcedet gratia passu,
Me tua non renuet cura paterna sequi:
Sic habitabo tui felix sacraria templi,
Perpetuoq; domus me teget vmbra tuæ.
Discite mortales, summum decus esse, bonumq;,
Vnius in templo posse manere Dei.

PSALMVS XXIII.

Deus eſt paſtor meus.

ARGVMENTVM.

Gratiarum actio pro nutritione, defenſione, & gubernatione.

PSALMVS DAVID.

DOminus Paſtor meus, nihil mihi deerit.

In loco paſcuæ me collocauit, ſuper aquam refectionis deduxit me.

Animam meam recreauit, deduxit me ſuper ſemitas iuſticiæ, propter nomen ſuum.

Nam etſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me.

Impinguasti oleo caput meum, & calix meus inebrians est.

Et bonitas & misericordia subsequentur me, omnibus diebus vitæ meæ, Et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum.

PSALMVS XXIII.

ARGVMENTVM.

Ist ein Danckpsalm / darin ein Christlich hertz Gott lobet vnd dancket/das er jn leret vnd erhelt/ auff rechtem wege / vnd tröstet vnd schützet in aller not/durch sein heiliges wort/Vnd vergleichet sich einem Schaf/ das ein trewer Hirte wol weidet im frischen Grase /vnd am külen Wasser. Item/ zeucht den Tisch/ Kelch vnd Ole auch zur gleichnis/ aus dem alten Testament vnd Gottesdienst / vnd heist es alles Gottes wort/Wie ers auch Stecken/Stab / Gras /Wasser vnd rechten Weg heisset. Er gehöret in das dritte Gebot/vnd in die ander Bitte.

Ein Psalm Dauids.

DEr HERR ist mein Hirte / Mir wird nichts mangeln.

Er weidet mich auff einer grünen Awen/vnd füret mich zum frischen Wasser.

Er erquicket meine Seele/Er füret mich auff rechter Strasse/vmb seines namens willen.

Vnd ob ich schon wandert im finstern Thal/fürchte ich kein vnglück/Deñ du bist bey mir/Dein Stecken vnd Stab trösten mich.

Du bereitest für mir einen Tisch gegen meine Feinde/Du salbest mein Heubt mit Ole/vnd schenckest mir vol ein.

Gutes vnd Barmhertzigkeit werden mir folgen mein lebenlang/vnd werde bleiben im Hause des HERRN jmerdar.

PROLEGOMENA

M. IOANNIS STIGELII, IN PSALMVM XXIII.

Dominus Pastor meus &c.



LIBRI PSALMORVM, qui Dauidis nomine extant, totius Scripturæ sanctæ medullam, & quasi penu instructißimum sapientiæ Spiritus sancti complectuntur, in quibus illud summa veneratione atq; admiratione, perpetuaq; gratiarum actione dignißimum est, quod mysterium beneficij in Christo vbiq; plenißimè describunt, & implantationem copulationemque Ecclesiæ cum Christo ita depingunt graphicè, vt vel ex hoc solo opere vera DEI *noticia & voluntas recte cognosci posset, nisi immensa bonitas* DEI *infirmitati & caligini mentium humanarum pluribus scriptis de se testimonijs consulere voluisset. Est & illud admirandum & grata mente amplectendum, quod Spiritus sanctus adeo familiariter se accommodet in Psalmis ad naturam sermonis humani, vt mysteria verbi diuini ferè ex similitudine proponat atq; explicet earum rerum,*

quæ

quæ contemplationi, & sensibus hominis sunt obuiæ & familiariter notæ, modo physicus, modo agricola, modo orator, & quidem ῥητορικώτατος.

Sic in hoc Psalmo inducens prosopopeiam exultantis, veraq́ fiducia & inuocatione tribuentis DEO gloriam, & agentis gratias de omnibus corporalibus & spiritualibus beneficijs, quæ per Christum renati accipiunt, ex ea specie agriculturæ, quæ circa pastionem occupata est, suauissimam allegoriam mutuatur, quam pingit similitudine Pastoris & ouiculæ, ac iucundissime mutat tropos à similitudine ouiculæ & pastionis ad imaginem apparatus Regij vel Pontificij. Repetit enim eandem sententiam insignitam ac picturatam alijs figuris, quæ sumuntur ex ceremonijs veteris Testamenti, de mensa propositionis, de vnctione Sacerdotum & regum, de vsu poculorum Templi & Regiæ, quæ collatione quadam comparat cum ijs, quæ supra ad pastionem retulit. Cum itaq́ omnium Psalmorum causa finalis sit agnitio DEI per Filium, sciendum est ὑποκείμενον proprium esse huius Psalmi doctrinam de vocatione, patefactione Euangelij, institutione, regeneratione, conseruatione Ecclesiæ per verbum sonans & efficaciam Spiritus sancti, in assentientibus promissioni & firma fiducia acquiescentibus in beneficio Christi.

Hæc adumbrantur pictura paſtoris, ouiculæ, & paſtionis, vt & propoſitio, & in fine adiectum Epiphonema oſtendit, Simul tamen rectè intelliguntur etiam externa bona, quæ à prouidentia DEI *proficiſcuntur: Nutricio, Bona valetudo, Gubernatio, Defenſio, Conſeruatio rerum priuatarum & publicarum, vt ei omnia vitæ commoda & bona aſcribantur, in quo ſolo viuimus, ſumus & mouemur.*

Sed fontes inuentionis conſideremus. Frequens eſt ſimilitudo in ſacris literis etiam veteris Teſtamenti, ſumpta ab ouibus & paſtione, & accommodata ad Eccleſiam, quæ procul dubio nec melius intelligi, nec ſentiri ſuauius ab vllo poterit, quàm à Dauide, cui omnis ratio atq; peritia paſcendi iam inde ab adoleſcentia optime erat cognita. Ab imaginatione igitur paſtionis incaluit cogitatio ſcrutanti Dauidi aſpirante Spiritu ſancto et accendente lumen intellectus, vt animo complectens argumentum huius carminis cogitaret nos homines vere eſſe miſeros, nec multum differre à pecudibus, niſi regamur prouidentia & bonitate DEI. *Forſan etiam reſpexit ad amictum primorũ parentum in Geneſi Moſi cap. 3. ac ſenſit animo, ideo illos poſt lapſum pellibus à* DEO *indutos atq; contectos fuiſſe, vt figura oſtenderet filium* DEI, *futurum eſſe victimam pro peccatis mundi, quæ*

veſti-

vestimento salutis rursus indueret in gratiam receptos.

Sed haud dubiè intuens animo Dauid locos scripturæ, qui hanc similitudinē continent, maxime in libris Mosis pie meditatus est dulcissimam figurã, & inde picturam rei suauissimæ informauit, sicut & Esaias post Dauidem forsan hunc ipsum Psalmum respiciens simili figura vtitur. Ecce Dominus cum virtute venit, Sicut Pastor pascet gregem suum, & amplexu brachiorum suorum congregabit agnos, & ducet securè matrem prægnantem. Considerauit etiam Ezechiel eandem figuram multis verbis ob oculos ponens diuinæ pastionis imaginem in Ecclesia, Et quidem Esaias omnē considerationem hominis pingit ouis appellatione, sed & Messiam vocat ouem victimam significans. Et hîc diligenter consideranda est sapientia Spiritus sancti inscrutabilis significantis συζυγίαν conuersi hominis cum Christo. Nam cum ita se habeat natura ouis, vt sit rudis, simplex, innocens, placida, patiens, Hæ conditiones disparatæ & distributæ monstrantur ab Esaia. Homini propriè competit ruditas ouina, ignorantia, stoliditas, caligo in mente, perturbatio motuum in corde, supina incogitantia, & insipientia.

Sed meliores in ouicula conditiones vere tribuuntur Christo, innocentia, placiditas, tolerantia, admiranda vtilitas. In Christo igitur ouicula innocente

cente renaſcimur, nos rudes ouiculæ, & bardæ & ſtupidæ, & accipimus lucem intellectus, & vigorem veræ beatæq́ vitæ, dum paſcimur ipſius ſanguine & reficimur, imò regeneramur ipſius obedientia, victoria & iuſticia. Hanc dulcem συζυγίαν animo complexus reſpectu generis humani, & promiſſi Meſſiæ etiam ante Eſaiam vates noſter & pſaltes in hac oda diuina adumbrauit, idq́ non modo oſtendit initio, cum inquit, ὁ κύριος ποιμαίνει με. Nam in Hebræo eſt Iehouah, quod filio DEI quoq́ tribuitur, ſed etiam declarat lucide, cùm inquit, Super ſemitas iuſticiæ ſuæ deduxit me, propter nomen ſuum. Hic perſpicuè imputationem iuſticiæ ſignificat per gratuitam remiſſionem propter Filium DEI mediatorem.

DISPOSITIO PSALMI.

IAm & diſpoſitionem contemplemur, cuius eſt perfacilis ratio cognito eo, quod eſt κεφάλαιον Pſalmi. Duæ vero ſunt picturæ, quibus rem eandem ob oculos ponit, in duas partes carmine diſtributo. Altera ſumpta eſt à ratione paſcendi, Altera ab apparatu ſplendidè inſtructi conuiuij, ſiue regij, ſiue pontificij. Priores ſunt hæc: paſtor, ouicula, paſcua, via, actus & ſemita, Item, arma paſtoria, virga & baculus. Nec omittit hoſtem

gregis

gregis ac pascuorum, lupum famelicum, furentem ac circumeuntem, insidiasq́ struentem ouiculis. Nec pestes præterit infestas gregi, & pascuis Ecclesiæ, quales sunt tum inhærentia, tum voluntaria peccata & mors ipsa, peccati stipendium ac merces. Hæc omnia comprehendit hoc Tropo, In valle vmbræ mortis.

Posterioris picturæ sunt hæc ornamenta. Mensa splendidè & opiparè instructa, vsus vnguenti vel Balsami, gratiosa propinatio repleti calicis. Ita commutatis tropis sanctè & suauiter ludit: Et congruit optimè collatio, qua pascuis comparat mensam, repletionem calicis & affusionem vnguenti cum aqua refectionis & donatione iusticiæ componit.

EXPOSITIO PSALMI.

VT intelligi poßit ratio omnis huius pastionis, quam prædicat Psalmus, consideranda est collatio relatiuorum, quæ hic sunt: Pastor, Fundamentum videlicet, vnde oritur relatio, & ouis, Terminus, ad quem applicatur pastio, quæ est inter hæc duo extrema relatio. Pastor Deus Pater est, & Filius, & Spiritus sanctus, vt monui de vocabulo Iehouah. Neque enim potest huic loco aptari sapientior interpres, quàm Filius Dei hanc similitudinem exponens Ioan. 10.

Ego

Ego ſum paſtor bonus &c. Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animam meam pono pro ouibus. OVIS *autem homo eſt errans quidem miſerè & turpiter labens, ſed tamen agnoſcens vocem paſtoris, & fide apprehendens, ſicut Eſaias deſcribit cap. 40. & 53. depingens tum deprauatæ naturæ vitia & horrenda delicta in homine, tum reſtaurationem & regeneratione͂ per obedientiam Chriſti præſtitam æterno patri pro genere humano, quod propria voluntate & voluntario furore & furioſa præuaricatione cordis à gratia Dei fœdiſſimè exciderat.*

PASTIO *igitur, de qua hîc* DEO *gratias agit Pſaltes, triplici modo conſiderari poteſt.* PRIMVM *eſt communicatio gratuitæ miſericordiæ* DEI *per filium applicata & ordinata, immota voluntate* DEI *ad ſalutem omnium, qui agunt pœnitentiam & exuſcitati fide apprehendunt hoc beneficium in Chriſto. Talibus nihil deeſt, ſiue ſpiritualia, ſiue corporalia dona reſpicias, vt ſuo loco audiemus. Hoc vero loco ſanctè conſideretis myſterium dulciſſimum ac plenum veriſſimæ conſolationis, quæ in hoc mundo nobis miſeris, & hinc inde palantibus ouiculis in conſpectu atque cōtemplatione animi ſemper eſſe debebat, quo pingitur Eccleſiæ aut cuiuſcunq; renati copulatio cum Chriſto, qui dum ipſe fit victima, ouiculæ omnes*

opti-

optimas conditiones, quas in se habet cum vitiosa nostra natura coniungens ea communicatione, qua se nobis totum donat, & dicat in paßione, resurrectione, triumpho, regno, & Sacerdotio, includit infirmitatem nostram in suam integritatem, & nos sibi arctißimo vinculo copulat, quod fit appræhensione iustificantis fidei, quæ nitens Mediatore velut ignis exardescit ad absumendum peccata, vt reputemur iusti, quanquam procul absumus à perfectione legis, propter solum intercessorem & mediatorē filium Dei, Deo non imputante miseris delicta.

Quod cum ita sit, etiam Hugo prospiciens aliquid huius sensus, quanquam de expositione sacræ scripturæ more Scholasticorum hunc locum exponit, non incommodè monet, fidem in eo esse oportere, qui vesci cupiat pabulo sacrarum literarum. Nam hæc est natura fidei, vt licet initio imbecilla sit, & ex dubitatione vix magno negocio eluctari poßit, tamen auxilio Spiritus sancti in morē grani Sinapis adolescat agens radices & emittens ramos in quibus nidificent volucres, hoc est, acquiescant omnes cogitationes animi & inclinationes voluntatis, ac respondeant cum fiducia erga Deum in corde iam repurgato rastris & ligonibus legis, luce verbi illustrato, & vi Spiritus sancti regenerato.

Atq; hoc est Testamentum & fœdus Dei, quo sibi colligit & copulat hæreditatem ex genere humano, quam luce Euangelij reuocat ex tenebris legis, gratia paterna iustam pronunciat propter filium. Deinde pascit doctrina verbi in agro compascuo Ecclesiæ, ac induit vestimento salutis, hoc est, liberationis ac gloriæ æternæ. Hæc est pastio illa arcana & cœlestis, quam alijs atq; alijs figuris subinde proponunt Prophetæ. Esa. 55. Audite me, & comedetis bona, & delectabitur in bonis anima vestra, & disponam vobis Testamentum æternum, videlicet, sancta Dauid fidelia, hoc est, promissionem gratiæ in Christo Dauidi factam. 1. Reg. 7. quam exponit Psalmus 89. & Epistola ad Hebr. cap. 1. Item, Esa. 59. Hoc est testamentum & fœdus meum cũ eis, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ dedi in ore tuo non deficient de ore tuo, & ex ore seminis tui ex nunc & in æternum.

Eandem rem in Psalmis Spiritus sanctus expressit sumpta ab ouibus & pascuis comparatione. In Psalmo 79. est illustris pictura Ecclesiæ & Scholarum, quæ verbo Dei confirmatæ in ærumnis ac periculis pendent à sola fiducia erga Deum per Christum, vere agnoscentes & inuocantes Deum patefactum per Filium, Sicut oues pendent à pastore, cuius nutu & ductu reguntur & seruantur, quoniam alibi nihil præsi-

dij aut auxilij agnoſcunt. Et hoc ſignificatur, cum in Pſalmo dicitur: Adiuua nos Deus ſalutaris noſter propter gloriam nominis tui, & libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Additur enim ratio, Nos populus tuus ſumus, & oues paſcuæ tuæ. Confitebimur tibi in ſeculum &c. Hanc paſtionis ſpeciem, qua fides piorum quærentium & amplectentium Deum in verbo ſuo arripit pabulum Euangelij & doctrinam de Iuſtificatione ſaturantem conſcientias, vt acquieſcant in redemptione & glorificatione per Chriſtum, Spiritus ſanctus hoc verbo, ὁ κύριος ποιμαίνει με, expreſſit, cogitante altius de beneficio Meſſiæ ſanctiſſimo viro Dauide, quem quoniam Spiritu vidit, ſenſit corde, erupit in hanc vocem plenam fiduciæ gloriantis in hoc ſummo bono, & agentis gratias Deo.

Quoniam verò, vt paulo ante eſt dictum, optimus interpres huius Pſalmi, ſicut aliorum omnium, vnus eſt Chriſtus & doctrina noui Teſtamenti, cogitemus etiam de cæteris beneficijs ipſius, quæ cum doctrina verbi ſonantis coniuncta ſunt, Baptiſmũ dico, & cœnã Domini, qui cũ ſint teſtimonia et tanq̃ ſigilla promiſſionis gratiæ de rẽconciliatiõe cũ Deo, ab hac prima paſtionis ſpecie, quam oſtendimus, ſeparari nec poſſunt,

nec debent. Quid enim afficere suauius & recreare iucundius animam hominis possit, quàm hæc actio, qua Deus in Baptismo fœdus cum homine constituit, idq; sancit mutua obligatione, vt sit indissolubile vinculum reconciliationis, dum profitetur se gratuitò recipere hominem, & conscientia credens & acquiescens fide amplectitur promissionem. Est enim BAPTISMVS ceremonia totius diuinitatis consilio per filium Dei ad hoc sancita, vt credamus nos per hoc lauacrum regenerationis ablui sanguine Christi, & donari Spiritu sancto, ac recipi in gratiã diuinitatis immutabili fœdere, de quo testantur verba institutionis diuinitatis, quæ in hac actione sacra recẽsentur, et fide adultorũ sunt accipiendæ. Nam verbum DEI potentia est efficax ad salutẽ omni credenti, Roma. 1. Vt enim in verbis, quæ circumcisioni adhibebantur, acquiescebant mentes certò statuentes se Deo curæ esse, & recipi in gratiam: Ita fides accedens ad verbum in hac actione apprehendit Euangelij promissionem de intercedente pro nobis filio Dei apud æternũ patrem, vt reconciliemur Deo propter ipsum, & sanctificante Spiritu sancto eos, qui hoc lauacro regenerantur, vt euidenter ostendunt verba S. Iohannis 1. Epistola cap. 5. & Pauli 3. cap. ad Titum.

Proinde Baptismus quoq; pabulum, & quasi primum lac recte nobis dici potest, quod alit & nutrit fiduciam certò statuentium se sanguine Christi mundatos esse, ac perspicuum testimonium habere ex Baptismo remissionis gratuitæ peccatorum, donationis Spiritus sancti, & vitæ æternæ propter filium Dei. Hoc pabulum animæ fide accipiendum & firmiter tenendum est contra omnis generis afflictiones & calamitates. Cum enim Deus perpetuò verax sit, & sibi constans, vt violari nolit, fœdus semel cum homine sanctè factum confirmatumque, ad hunc fontem consolationis in omni cursu vitæ confugiendum est, adeo vt lapsi etiam dubitare non debeant, in Baptismo esse, & pabulum & potum gratiæ ac misericordiæ Dei, quibus refecti resipiscant, & ad Deum conuersi recipiantur.

De COENA *verò* DOMINI *quod dicam ipsum vocabulum suppeditat, commonefaciens eam esse pastionem animæ efficacissimam Spiritu ex fide expectantis spem iusticiæ, vt Paulus inquit. Ea ratione & Testamentum appellatur, quoniam testator, qui hoc instituit, Filius Dei, iusticia & salus nostra in eo nobis preciosissimum κειμήλιον donauit, tradidit & reliquit, quod esset monumentum & pignus fraterni & immensi amoris, videlicet suum corpus &*

 sangui-

ſanguinem, & quidem non typicum, id eſt, verbo, & ſignotenus adumbratum, ſed re ipſa ſeu ipſa ſubſtantia ſuum ipſius proprium, id eſt, & aſſumptũ ex virgine corpus, & in cruce effuſum ſanguinẽ, vt eſſet ἀντίλυτρον pro nobis ſeu preciũ redẽptionis noſtræ. Nã ſi effectus huius participationis in cœna Domini conſiderabimus, reſtituit ac ſanat conſcientias tetro vulnere peccati percuſſas, confirmat ac ſuſtentat fidem in ijs, qui vere agunt pœnitentiam, longeq́ expellit atq́ exterminat Gorgonem Diaboli, tetram atq́ impiam dubitationem, qua mentes deterrentur ne accedant cum fiducia ad thronum gratiæ, teſtatur amorem Chriſti ac στοργὴν fraternam erga homines, exuſcitat ad inuocationem, & accendit preces, erigit mentes ad agendas gratias Deo, excitat ardorem in confeſsione, obſignat mentes & corda, vt ſciant ſe vere recipi & amari à Deo, affert veras conſolationes tum in omnibus calamitatibus, tum in cogitatione de duratione & conſeruatione Eccleſiæ vſq́ ad extremum mundi diem, accendit amorem proximi, nectit firmiter vinculum dilectionis, efficit fidem fructuoſam alijs & placentem Deo. Deniq́ paſcit vera fiducia animam, & exercet fidem acquieſcentem in reconciliatione & gratuita donatione iuſticiæ, & inchoat in nobis vim atq́ motum immortalitatis noſtræ, & vitæ ſempiternæ.

Hunc

Hunc vſum Sacramenti intentè, reuerenter, accurateq́ conſiderantes ſcopum teneamus præcipui & maxime principalis finis, videlicet, quod neceſſe ſit vſu huius Sacramenti fidem erigi & confirmari in pœnitentibus, vt ſanctiſſimo teſtimonio & pignore, quod declaret ratumq́ faciat, nos receptos eſſe à Deo propter Filium, & donari noua iuſticia, & Spiritu ſancto, vt circumſpectè ambulemus in poſterum, nec circumferamur quouis vento doctrinæ, ſed veritatem amplectentes, in caritate adoleſcamus in Chriſto, Spiritu ambulantes, ne concupiſcentiam carnis perficiamus. Summa ſit igitur huius loci: Deus paſcit verbo & Spiritu, fide apprehendente pabulum, quod affertur ſono & efficacia verbi in doctrina, in Baptiſmo, in cœna Domini. Etſi autem coniuncta ſeu indiuiſa ſunt opera, vt loquuntur, ad extra totius diuinitatis, id eſt, trium perſonarum communes actiones externæ, vt exemplum creationis, Baptiſmi & multarum liberationum oſtendunt: tamen hæc gloria filio Dei eſt propria, vt eum ducem diuinorum erga Eccleſiam beneficiorum omnium conſtituat Pater, quoniam ne nominari quidem aut cogitari vult abſq; recordatione & compellatione filij, cuius ſolius cauſa gratis recipit omnes vera pœnitentia & fide ad ipſum confugientes.

Huius ἀξιοπρεπίας tum alibi in ſacris literis multa exempla extant, tum illuſtris eſt pictura Exod. cap. 14. ſiquidem in traductione Moſis trans mare rubrũ adfuerunt, & pater nutu paterno & voluntate præſens, & filius dux itineris veluti manu apprehendens Moſen, & Spiritus ſanctus difflans & diſijciens fluctus & vndas maris. Quod cum ita ſit, huius quoq; paſsionis, quam Pſalmus prædicat, decus atq; gloriam Chriſto rectè aſsignari, tum ex verbo, Iehoua, tum ex teſtimonijs Apoſtolorum diſcimus, qui paſtoris officium, quod Prophetæ depingunt, ipſi Chriſto, vt Mediatori & ſaluatori tribuunt. Propheticæ picturæ notæ ſunt ex Eſaia cap. 40. & Ezechiele, qui cap. 34. prolixe deſcribit filium Dei paſtorem ſuæ Eccleſiæ. Huc reſpicit D. Petrus 1. cap. 3. quo loco dum exponit verum vſum paſsionis Chriſti, ſubiungit, Nam eratis velut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & curatorem animarum veſtrarum. Et Epiſtola ad Hebræos τὸν μέγαν τῶν προβάτων ποιμένα appellat Chriſtum, reſpiciens Spiritu ad picturas Propheticas, vnde etiam Eccleſia pinxit Chriſti imaginem gerentis ouiculam humeris impoſitam.

Hæc de primo loco diſtinctionis noſtræ viſum mihi fuit in memoriam reuocare ſtudioſis, vt pie cogitarent de maximis beneficijs Dei, quibus

bus in hoc vitæ huius salo afficit nos miseros, ut hæredes efficiamur regni cælorum, tum de præcipuo fine hominis, qui in vera inuocatione, fide, celebratione nominis diuini præcipuè versatur, vt cum vnus sit pastor & Dominus, vna fides, & vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium, pro se quisq; suum locum intelligat, suasq; actiones cum ad gloriam Dei, tum ad amorem & commodum societatis in Ecclesia, suamq; ipsius salutem conferat.

SECVNDA RATIO, qua Deus pascit Ecclesiam, dona Spiritus sancti, admirandam munificentiam Dei, qua Deus fouet, nutrit, & adauget omnia, & custodiam angelorum complectitur. Quod ad primum attinet, explicatio recte peti potest ex dicto Zachariæ cap. 12. qui Spiritum gratiæ & precum appellat. GRATIÆ epitheton habet ex eo præcipuè, quod adiuuat corda, vt fide gratuitam remißionem apprehendāt. Spiritus PRECVM dicitur: quia accendit inuocationē in cordibus fide renatis. Atq; hæc referenda sunt ad eam pastionem Spiritus, quam paulo ante descripsimus, cum pastione verbi coniunctam. Pertinent vero ad gratiam, etiam dona Spiritus sancti, quæ sunt motus in corde luce Euangelij renato, consentientem cum mente & voluntate ἐναρμοσίαν conseruantes. Ac mira profecto vis est cordis, & esse cognitiones in corde

supra sensum & phantasiam, dubium non est ex eo, quod moueri cor constat, statim ac mens cogitare incipit. Igitur Spiritus sanctus accendit motus in corde congruentes cum cognitionibus veritatis, & iusticiæ in mente, & inclinat voluntatem, vt assentiatur illustratæ rationi, & conseruet προαίρεσιν recte tum sentiendi tum faciendi.

Quare eiusmodi motus in corde, qui regunt notitias mentis & habitum voluntatis ad normā fidei & inuocationis, vere sunt dona Spiritus sancti. Proinde & artes & virtutes dona sunt Spiritus sancti, cum exercentur ad regulam fidei & inuocationis. Hinc discrimen agnosci potest verarum virtutum, & earum, quæ sunt specie veri adumbratæ. In IOSETHO veræ sunt virtutes & Deo gratæ, continentia, iusticia, veritas, prudentia & fidelitas, Quia reguntur verbo Dei. In Lysandro duce Lacedæmoniorum simulatè concipitur, si quid recte consuli aut geri videtur. Veræ igitur virtutes in Lysandro non sunt. Sic hodie in regum & principum aulis singularis sapientiæ & industriæ loco ducitur astuta simulatio, ad quam plærique etiam certatim contendunt tanto studio, vt ipsi mores aulici videantur hoc anathemate perstringere cunctatiores & ignauiores: extremum occupet

scabies. Sed hæc sophistica Diabolica est, vt exitus etiam plerunque ostendit. videmus enim Alcibiadis consilia plerunque Alcibiadicum exitum sortiri, vt dicitur: ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Interim quis potest æquitati & tranquillitati in Repub. locus esse, vbi ἀμοιβαῖοι τέχναι, hanc viuendi rationem inuexere, quam Plautus his verbis exprimit. Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet, & iam cum cauisse ratus est, sæpe is cautor captus est?

Sed hîc quæstio oritur, An Heroicæ virtutes extra veram Dei agnitionem sint dona Spiritus sancti? vt in Aristide, Catone, Scipione, iusticiæ amor: & decus moderationis & constantiæ: in Themistocle, Epaminunda perpetuum robur animi, religionis & pacis amor in Numa & Nitia. Nam & hodie sapientes quidam in Ecclesia adfirmare audent, nescio quos & quomodo illustratos Ethnicos homines inter vere beatos, & æternæ salutis participes recte collocari. Et ERASMVS turpissime prodit suam incogitantiam de doctrina salutis, Dum in Epistola Thusculanis quæstionibus præfixa animam Ciceronis in eorum numero esse pronunciat, qui in consuetudine re-

gni cœlestis verè beati sunt, nec pronunciat tantum, sed argumentis quoq; affirmat, verè tamen iunceis & infirmis accersitis, scilicet tum à noticia numinis, qualem Turcæ etiam sibi vendicant, tum ab integritate vitæ & conscientiæ, quam tamen in persona Ciceronis veris coloris describere ne quidem à Platone adiutus posßit.

Ad hanc quæstionem autem breuiter & perspicuè respondeo, Aliud est donum creationis, aliud donatio Spiritus sancti, Deus condidit naturam integrè bonam, in cuius deprauatione à Diaboli instinctu & voluntate hominis exorta, mansit tamen vigor quidam vniuersi, tametsi languidus & debilis, qui in diuersis speciebus continuò progressus facit ac durat, quoniam semel ita est conditus. Hunc vigorem Deus ita sustentat generali actione, vt donum creationis, cuius vim penitus interire noluit, quod etiam duce lege naturæ Ethnici agnouerunt, vnde hæc sunt Virgilij in 6. Aene:

Principio cœlum ac terras, camposq; liquenteis,
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumq; genus, vitæq; volantũ,
Et quæ marmorea fert mõstra sub æquore põtus.
Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Ita

Ita in apiculis perpetua est sagacitas & industria colendæ societatis, seruandi ordinis, faciendi operas in commune, dum veluti consortia tecta vrbis habent, magnisq́ agitant sub legibus æuum. Quia hæc natura ita creata est in apiculis, vt sit generale donum Dei ad vtilitatem hominum comparatum.

Sicut igitur in rerum natura perpetuo durat lux Solis atq; cœli, quæ illuminat atq; exhilarat, tum animata, tum inanimata corpora, nec durationis eius alia causa reperiri debet aut potest, quàm quod ita simplicissima vi creationis condita est: Ita ingenij vis in homine quasi lumen mentis cognitionē igniculis atq; facibus accensum, & intellectu ordinis illustratum, continuum vigorem seruat. Quia conditor sic voluit radium suæ lucis humanæ naturæ per creationem impressum conseruari in propagatione generis humani ea sustentatione, qua autor & rector fouet & seruat omnia.

Cum autem virtutes ex sagacitate mentis, assensione cordis, & habitu voluntatis oriri atq; nasci, confirmariq́ in confesso sit, vt Ethnicorum quoq́ exempla testantur, fatendum certè est semina virtutum ex vi creationis insita atq; innata esse naturæ hominis, vt donum, quod etiam ex-

am extra noticiam sui Deus in alijs luculentius, in alijs parcius exuscitat atque inflammat pro ratione prouidentiæ suæ, qua conseruatam cupit societatem humanam. Cùm enim politiæ ordinatio DEI, & sint & merito appellentur, omnibus ætatibus ad conseruationem earum DEVS largitur humano generi ingenia eximia atque excellentia, ijsque tum ad exercendas virtutes inter homines, tum ad reperiendas artes, ad consilia, & alia vitæ commoda, vehementiores motus atque impetus inserit, vt instituendo & gubernando feliciter præesse cæteris hebetioribus & infirmioribus poßint, quemadmodum sapienter Plato dixit: Sicut bestias non à bestijs educari, Sed ab homine maxime conueniebat: Sic à DEO excitari natura præstantiores homines, qui regant ignauiores.

Hanc excellentiam supra communem hominum captum positam admirati primi aut certe vetustißimi homines, hoc genus præstantium virorum Heroas appellauerunt, ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται ἡμίθεοι, vt Hesiodus inquit: Nec explodimus hanc ἐπωνυμίαν, Si de ea sustentatione DEI intelligas, quæ sub genere posita vim perpetuam creationis fulcit eo amore ac bonitate creatoris, qua odisse suum

plasma

plasma quantumuis horribiliter deformatum minime potuit, Sicut nec illud reprobamus, cum ad hoc genus donorum DEI refertur, nullum magnum virum esse sine afflatu diuino. Quod enim hic afflatum diuinum vocat Cicero, recte appellamus præsentiam DEI, qua generaliter adest rebus creatis.

Longe vero alia res est donatio Spiritus sancti, seu renouatio hominis per Spiritum sanctum fide agnoscentis Deum ex verbo suo, nec tantum, imo nulla ex parte pendens à creationis beneficio, cuius dona miserabiliter contaminata atque corrupta sunt in homine, sed ex patefactione & vera agnitione DEI efflorescens atque existens. Huius renouationis, quæ fit in vera pœnitentia, filio DEI dicente consolationem de gratuita imputatione iusticiæ & Spiritu sancto simul inchoante nouam obedientiam, duo veluti membra sunt, mortificatio & viuificatio.

Est autem MORTIFICATIO non vel Stoica compreßio affectuum, aut naturæ ruentis contra ordinem velut affectata refrenatio, vel monastica aut Hypocritica bonorum operum commentatio, Sed est vera agnitio peccati, quæ fit lege indicante corda & pœnitentia seria

ac ſolide expreſſa, non adumbrata tantum in ijs, qui toto pectore ſentiunt iram Dei aduerſus peccatum, & ideo terroribus ac pauoribus perculſi, confugiunt ad mediatorem in Euangelio monſtratũ, & fide apprehendunt gratuitam remiſſionem. His ita firma fiducia accipientibus veram conſolationem accedit & accenditur VIVIFICATIO, per Filium & Spiritum ſanctum, augens fidem & exuſcitans atq; inſtammans corda, vt ſtatuant ſe imputatione iuſticiæ Chriſti, ſeu propter Chriſtum, fide apprehenſum certo conſequi remiſſionem peccatorum, & ſimul incipiant nouã ac ſpiritualem obedientiã, quæ eſt effectus neceſſariò conſequens imputationẽ. Hæc eſt ſpecialis Dei actio, qua illuminat corda ac mentes, vt cognitionẽ et delectũ ad normam vocis cœleſtis dirigant, quæ filium Dei audiendum præcipit, nihilq; temere ac inconſultô peragant, vnde vulnus infligi conſcientiæ poſſit.

HEROICÆ igitur virtutes in Ethnicis generalia ſunt dona Dei, ex vi atq; efficacia creationis & ſuſtẽtationis diuinæ, quæ proſunt ſocietati humanæ ad conſeruationẽ ciuilis iuſticiæ & publici boni, non proſunt quicquã vlli mortalium ad ſalutem animæ, vitamq; æternam conſequendam (Sicut nec ϛοργαί φυσικαὶ, quæ & ipſa dona Dei ſunt, quicquam conferunt ad animæ ſa-

mæ salutem, alioqui & Niobe colliquescens lacrymis ob interfectos liberos pro Antigone fratris causa mortẽ perferens, & Artemisia luctu & mœrore ob mortem mariti contabescens, recte expectare vitæ cœlestis consuetudinem poterant.

VIRTUTES autem in hominibus doctrina Euangelij renatis specialia sunt dona, quæ Deus per Spiritum sanctum efficit ac distribuit, vt Psalmus 58. docet: Ascendisti in altum, & dedisti dona hominibus. Suo igitur loco ponamus Heroum virtutes, & vt dona Dei amplectamur, ita tamen vt in cœtu Ecclesiæ, in qua verum decus ab illustratione Spiritus sancti accipiant agentes pœnitentiam, & fide apprehendentes filium Dei, ea ad salutem animæ nihil prorsus momenti habere sciamus, cum iuxta legem naturæ externam disciplinã vtcunq; adumbrent. à doctrina vero Euãgelij de remißione peccatorũ et donatione iusticiæ, quæ omnia opera seu merita hominis excludit, procul remota atq; aliena, Quicquid enim ex fide non est, peccatum est.

Sed vtriusq; rei lucidior explanatio agnosci insuper poterat ex discrimine legis & Euangelij. Lex naturæ agnoscit Heroum impetus & virtutes esse dona Dei, vt sunt, lux eximia & excellens ingenij, & recte faciendi προαίρεσις iuxta posteriorem tabulam legis Mosaicæ. Et quidem hæc suo in genere sunt magna & digna

gratiarum actione, sed quam diu carent luce Euangelij, externa tantum bona sunt ad ciuilis iusticiæ administrationem accommodata, ad pacandã conscientiam in lucta cum peccato planè inepta & mortua. EVANGELII vero doctrina imbutus animus, quod veterem hominem exuit & induit nouum, sentit accedere ad semina virtutum natura nota verum decus ex renouatione Spiritus sancti, qui inchoat nouam vitam in credentibus. Ideo rationem officij habent illustrati verbo Dei, ne saucient aut violent temere conscientiam, dum interim illi, qui tantum ex lege naturæ virtutes imbiberunt, miserè seducuntur à Diabolo patre mendacij, vt sæpe calliditatem & versutiam virtutum loco habere atq; vsurpare magnum decus esse existiment. Quemadmodum enim feracißimis regionibus accidit, vt simul saluberrima medicamina proferant & venena perniciosißima effundant: Ita Heroica ingenia non illustrata agnitione & amore Dei, cum in bonam & malam partem excellant, Si quid boni præstant, id maiori vel duplici malo semper obruunt, sicut exempla obuia sunt quotidie in aulis, in curijs, in foro, & in omnibus hominum commercijs & negociationibus. Ita enim semper comparatũ fuit in rebus humanis, vt longe minima pars hominum Deum vere agnoscat, quod aßiduis lachrymis dolendum atq; deplorandum erat.

DE BENEDICTIONE.

Venimus ad eam pastionis speciem, qua Deus benignißimus pater promptißima beneuolentia cumulate largitur generi humano rerum omnium ad vitæ sustentationem pertinentium, facultatem & copiam, fructum atq; vsum, quam tamen quo vocabulo recte appellemus, vix inuenimus rei magnitudine suspensi in sacris literis. Græca voce modo εὐδοκία, modo χρηστότης Dei appellatur, quibus tum intimæ beneuolentiæ, omniaq; largientis & concedentis voluntatis inclinatio, tum largißima & liberalißima bonitas cum omni mansuetudine coniuncta significatur. Latine benedictionis vocabulum qui probant, suo fruantur iudicio, Res certè maior est, quàm vt efferri vno verbo poßit.

Nos grata mente agnoscere decet, esse actionem Dei, qua res omnes in natura non modo gignit, fouet, alit, sustentat, sed etiam augusto quasi nutu & paterno fauore ac omnipotente bonitate fortunat, vt ita dicam, sospitat, augmentat, atq; ampliat, dum terram fœcundat, vitam impertit animantibus, gignit fruges, producit animalia, seruat genus humanum. Nam hic præsentiā Dei in conditione, nutritione, sustentatione, augmentatione hominis, animantium, herbarum, planta-

rum, arborum, frumenti, omniumq; rerum crescentium, qui non admiratur & grata mente celebrat, is vel ad Ciconum specus, vel ad Cyclopum scopulos damnandus atq; exterminandus erat meritò.

Condidit Deus cœlum & terram eadem compage vnum ædificium & reuera καλὸν ποίκιλμα, vt Euripides nominat, terram in medio pendentem & cum aquæ elemento conglobatam sustinet circumfusus aer, receptaculum exhalationum, ex quibus pluuiæ, venti, niues, ros, pruina nascuntur, quibus & refrigeratur & humectatur & fœcundatur tellus, impendit his cœlum motu ipsi naturæ salutariter attemperato semper se conuertens, eiusq; continuatione tempus, temporis distributione certas vices ac metas crescentibus rebus accommodatas, ex vicibus mutuam inter se operam nauantibus annum efficiens atq; dimetiens, & deniq; familiari complexu atq; efficacissimo vinculo superiorum corporum cum sympathia inferiorum mirabiliter naturæ rerum, quasi instillans vires cum crescendi tum ducendi ac propagandi rerum ideas atq; efformata exempla intercedentibus nascendi duobus principijs vel causis, calore & humore. Affusa rebus lux est lucerna operum humanorum, tum illa qualitas in vniuerso sparsa, tum quæ ex lucidis corporibus Solis maximè lumen fundit illustrandæ & exhilarandæ gratia.

Ter-

Terra præterea quasi colatorium omnipotentis opificis quàm mirabiliter sustinet aquæ impositæ molem? Licet enim Spongiæ similis apparent alte fodicantibus, dum subterraneis meatibus atq; reconditis Euripis accipit ac reddit fontium atq; fluminum scaturigines, tamen sua ipsius vi atq; pondere suffulta, nec dehiscit temere, nec sorbetur restagnationibus. Perennitas autẽ fontium & fluminum quàm est diuini fauoris expressum vestigium & immortalitatis nostræ ob oculos hominum posita imago? Huius profecto rei causæ ab homine non nisi infirmæ & languidæ afferri possunt, miraculum ipsum diuinum est, nec ociosum, nec asymbolum, inter reliqua opera naturæ prædicantia maiestatem & bonitatem Dei: Abit perpetuo riuulo fons illimis, abit flumen prono alueo pluribus auctum, cumulatumq; fontibus, nec impeditur cursus, aut deficit aquæ copia, arcana ratione tacite quasi lactantis & alentis terræ: Ita animorum nostrorum perennis erit ac perpetuus vigor atq; vis post acceptam gloriam donatæ nobis iusticiæ in omnem æternitatem durabilis atq; imarescibilis.

Sed res crescentes consideremus. Etsi autem subtilitatem indagandi alijs relinquimus, qui ab ipsa scrutatione naturæ physici appellantur, ne affectata curiositate modum excedere videamur: tamen & amor erga conditorem & reuerentia

& debitum gratitudinis moueant nos atq; incendant, vt è tenebris atq; caligine mentium nostrarum aliquam in lucem egredi conati, seriem admirabilem, certißimumq; ordinem naturæ, vel à longo intueamur & contemplemur.

PRINCIPIO placeat animo contemplari rerum naturalium admirandos fontes, progressus, & in ipsis mutationibus alterationibusq; certarum specierum admirabilem conseruationem. Quem enim hæc non inuitant, vt libenter & prolixe cogitet de beneficijs in natura, omnia produci ex materia, et natura Deo mouente, ordinante, sustentante omnia, qui vnus est causa efficiẽs, omnium materiã ex nihilo conditã à Deo neq; æternam esse, neq; tamen interire, licet varie agitatam ac dißipatam, nec vspiam subsistentem, sed sufficere rebus nascendis ad quascunq; actiones, effectionesq; naturæ? Deinde naturam ipsam vim esse ac non modo principium, causamq;, sed substantiam ipsam & formam, quæ agat & sit efficax in materiam, velut artifex, minime ociosa, nõ quidẽ per se efficiens, sed à Deo instructa, quasi edocta, qui vt prior est materia & natura, primus motor & infinitus, ita naturæ aßignauit & subiecit materiã, vt in ea vires atq; facultates exerceat, quas ab autore & conditore acceperit. Hinc res naturales vocantur, quæ in ipsa substantia causam habent motus & quietis, ex effectione natu-

naturæ impulsæ à primo motore Deo, quem & Plato effectorē, largitoremq́ formarum nominat.

Vocarunt hanc primam materiam ὕλην πρώτην, subiectum videlicet cognatum in elementis, sparsum in natura, aptumq́ ad recipiendam formam quamlibet, ex quo primum generatur corpus naturale, & in quod tanquam ultimū rursus deficiens resoluitur atq́ recedit, Non enim elementū ipsa est, sed in elementis vis modo hanc, modo aliam speciem recipiens omnis generationis prima parens & nutrix. Etsi autem demonstrari oculis non potest, tamen cogitatione quadam & analogia potest concipi & cogitata monstrat causam, cur inter se elementa transmutentur in compositione corporum, quæ quidem causa ex hac ipsa prima materia pendet, quæ est principium recipiens mutationes. Hoc beneficium Deus sparsit in naturam, ut esset mater generationum. Nam in omnibus constitutionibus corporum naturalium potentiam paßiuam naturæ agenti exhibet, recipientem formas à natura effectas.

Iam si suscipiatur cogitatio de præparatione materiæ & susceptione formæ in constitutione corporis naturalis, nonnè cogitatio ipsa in considerationem beneficij diuini scrutantem deducat? Copulat duo cōtraria principia, & quasi consociat ad generationem. Medium accedens, quā vocant priuationē, quæ in defectu et appetitione materiæ

inchoat perfectionē formæ expellens rudiorem et aptiorem impellens, vt tepor in calefactione frigidæ medium est principium per accidens adueniens, quod in generatione caliditatis, quæ expetitur, formam cum materia coniungit.

Ab hac cogitatione ſuauior fit ſcrutatio, quæ elementorum naturam inſpicit, ex quorum occulta vi omnium corporum, formarumq́ primordia proficiſcuntur. Natura velut ſeminario vtitur elementorum congerie, cuius opera ſi inſpicias, dubites plura ne abſumat an pariat adeo admirabilis elementorum tranſmutatio in diuerſiſsimas rerum ſubſtantias, dum perpetua communicatione, quaſi vinculis inter ſe nexa rerum ſemina ſuppeditant ex quatuor velut fontibus generationum, calore, frigore, humore, ſiccitate, quæ inter ſe temperata craſes efficiunt in rebus creſcentibus. Nam calor & humor naſcendi principia ſunt, Siquidem humor alimentum & pabulum caloris præſtat, coagulum & gluten in generationi bus, nec ſolum paſcit calorem, ſed refrenat etiam & cohercet, vt temperatè agat. Calor humidum ipſum, quo paſcitur, diſsipat, digerit & maturat. Est enim inflammatio generationis adeo, vt naturam ipſam quidam nihil aliud eſſe pronunciarint, quàm prolificum quendam calorem. Frigiditas temperat calorē, ſiccitas terminat nutrimentum, & certo ſpacio cohercet, vt ſi

vi-

vitã hominis consideres, reperias eam esse veluti flammulam spiritus vitalis calore exuscitatam in humido nutrimento subtilissimi sanguinis, qui in officina cordis excoquitur.

Hanc flammulam volantem per vniuersum corpus siccitas vasorum continet, quæ quasi meta est humoris, frigiditas moderatur calorem, ne modum excedat. Ministræ enim caloris & humoris sunt hæ duæ qualitates elementorũ. Ita Deus vniuersitati rerum prospexit, vt immensa varietas mutationum gubernetur tantum per hæc quatuor inhærentia elementis. Hinc pendet causarum naturalium ordo. Ac dulcissima est cogitatio hæc, qua mens intuetur mixtorum compositionem, consideratione & corporum & naturæ, qui efficax est in corporibus, & proprietatum, quæ seruiunt nascendis corporibus. Corpora gignunt materia & forma suo ordine coëuntes, vt dictum est, vis in corporibus agens natura est causam ex se suppeditans motus & quietis. Nam & motus & tempus & locus proprietates sunt, sine quibus actio naturæ non existit, quæ ad certum finem semper operatur, tum agitatione in subiecto tendente ad formam, tum continuatione agitationis & motus, tum etiam superficie continente & sustinente locatum.

Hæc admiratione digna sunt, & ideo magnifacienda, Quia cogitantem abducunt in con-

templationem rerum mirabiliter nascentium & admirandæ conseruationis perpetuarum specierũ, Etsi autem diuersitas generationum ne quidem cogitari potest, tamen in vniuersum intelligentia assequimur componi atq; nasci corpora ex genitabili vi atq; facultate diuinitus naturæ rerum parenti insita, cui occultæ vires elementorum inseruiunt varijs progreßionibus in alias atq; alias formas, & aspirat ipse rerum omnipotens conditor, vitam atq; motum, durationẽ, incrementumq; ea potentia, qua potest omnia, Ac tanta vis est huius diuini seminis in rerum creatione, vt vbicunq; in concipientem habilemq; naturã quantumuis etiam minima sui portione inciderit, materiamq; nacta ali, augeriq; poßit, effingat atq; efficiat in suo genere animata atq; inanimata corpora, quæ in sua specie similia sui aßidua propagatione progignant nascendi initium, magnitudinisq; debitæ incrementum & differentias formarum ex occultis viribus elementorum accipientia.

SED DE CONSERVATIONE specierum paulo post dicam, Hoc loco iuuet natorum ex elementis vniuersales ideas atq; formas animo intueri. Quinq; enim sunt horum formæ, in ijs quidem, quæ inanimata dicuntur, duæ, meteora nimirum & metalla. Tres deinde in animatis corporibus, vt plantæ, animantia, homo.

Pri-

Primum, adeo benigna est diuina erga homines munificentia, vt terra ipsa non modo quacunque opes suas, aut beneficia certa homini exhibeat, sed sudore etiam suo sufficiat rebus arescentibus, quod prosit. Quid enim meteora sunt aliud, quam nata quædam in aëre corpora ex vapore & exhalatione terræ sursum ascendentibus, vi ac virtute cœli, viribusque elementorum pro ratione motus ac situs, effecta atque conformata, minime ociosa, siue sint ignea, siue aquosa? Illa enim plærunque impendentium conuersionum in rebus humanis nuncia sunt. Hæc vero rebus nascentibus vim alendi & enutriendi suppeditant.

Cibus & pabulum frugum omnium est aqua pluuia, qua irrigari & fœcundari terram, foueri, ali, atque enutriri segetes, olera, herbas, frutices atque arbores, vel iam inde ab initio agriculturæ experientia cognitum, contestatumque est, adeo vt Ethnica superstitio Athenis quendam, quibus colendi agri rationem primum fuisse ostensam fabulæ decantant, simulachrum terræ constituerit à Ioue pluuiam comprecantis, vt Pausanias scribit. Vsus planè docuit res in natura nullas perfectè nasci aut maturitatem rectè assequi, nisi accedat vis aquæ pluuiæ, cui propria facultas inest adiuuandi vires rerum crescentium, cum & pisces in stagnis & fluuijs exanimari

dican-

dicantur ab Aristotele & Plinio, nisi appluat aqua cœli. Plinius, vt solet, facete quidem hæc, sed verè, migrare aquas de terra in cœlum, vt inde animam herbis vitalem afferat. Sed plura de dignitate & præstantia aquæ pluuiæ cupientes legere expacientur in commentaria medicorum Hippocratis, Galeni, Auicennæ, Auerrois, Pauli &c.

Quæ fides Herodoto sit habenda affirmanti pluuiam Ægyptijs esse portentosam, iudicent ij, qui testimonio Spiritus sancti prædicari sciunt vtilitatem pluuiæ in Psalmis, qui etiam cum natura pluuiæ doctrinam Euangelij solet componere delectatus similitudine accepta à re salutari hominibus, vt in Ioele beneficium Christi, doctrinam videlicet iusticiæ, & fructus fidei describit comparatione matutini & serotini imbris, qua nihil poterat suauius dici.

Vt pluuia ante diem sulcandos præparat agros,
Serior inuersæ maturat semina terræ:
Obuia sic miseris veræ doctrina salutis
Sponte sua obueniet, quam casto pectora motu
Accipient, largoq; ferent hinc gaudia fructu.

Vt autē colono nihil poterat esse optatius, quàm si verno tempore agrum paranti ad æstiuam sementem mane cadat lenis & mitis pluuia, quæ terram humectet & conceptui aptam reddat, vesperi verò post iactam sementem iam de-

fesso colono quietem capiente, fructificans imber superueniat, cuius fermentatione sulcis coalescant semina: Ita Euangelij doctrina velut salutaris imber descendit in corda concione legis subacta & egregie perarata, cui Spiritus sanctus comes, vt serotinus imber cœptam seminationem corroborat, vt ad frugem perueniat, & fructum multum ferat.

Porrò, quod ad Herodotum attinet, fieri tamen potest, vt in certis regionibus pluat rarius, vbi vel aßiduus æstus in causa est, vt in Ægypto, vel perpetuum frigus, vt in locis ad Tanaim fluuium, in quibus ob paucitatem imbrium omnes fructus imperfectos & insalubres nasci Hippocrates affirmat. Sed exempla Psalmorum inspiciamus. Omnes Physicas causas pluuiæ complectitur hoc dictum Psalmi: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Vapor enim terræ educitur in aërem, ac virtute cœlesti excoctus & in roridam nubem dißipatus in guttas paulatim resoluitur & decedit. Iam quærat aliquis causas, quibus fieri existimetur, vt omnia alat & fœcundet cœli liquor magis atque efficiens, quàm terræ humor. Cognouit autem causas quadantenus experientia ex consideratione naturæ, quas etiam monstrat Hippocrates in hac definitione pluuiæ, τῶν ὑδάτων κουφότατα τὰ ὄμβρια καὶ γλυκώτατα καὶ λαμπρώτατα

καὶ

καὶ λεπτότατα, *Dulcia alunt & nutriunt, leuia & tenuia, quoniam naturæ sunt aeriæ, vim habent facile penetrandi. Proinde sic mixta atq; temperata pluuia, ac leuitate aëris referta momento in poros terræ demigrat, insinuaturq; in stirpes, & ex subactione, percoctioneq; vigoris cœlestis potentiam affert alendi & enutriendi.*

Sed hoc quoq; nemo melius vnquam enunciauit, quàm vates ille cœlestis. Psalmo 65. Sulcos terræ inebrias, humectas glebas eius, imbribus mollificas eam, germini eius benedicis. Inter beneficia diuina etiam niuis natura numeratur cum Psalmus dicit: Qui dat niuem sicut lanam? Et Iob inquit cap. 37. Qui præcipit niui, vt descendat, Nam hoc meteorum cum ex vapore tenui ac natura sua spumoso, & nonnihil impinguato oriatur, non obtinet magnam vim infrigidandi, sed sua densitate cooperiens terram hyberno tempore, quo ea maxime frigori est obnoxia, molli, iucundoq; amplexu contectam fouet, ne obstructis gelu poris semina per agros sparsa & sata pubescentia natiuis viribus destituta & vehementiore frigore adusta suffocentur, quod vsu venire solet cessante niue & hyberna tempestate astringente terram. Tunc enim glacies & pruina sata comprehendens veluti morsu concer-

pta dissecat demigrante gelu in radices & abolente vim nascendi, cui calamitati remedium natura affert aspersione niuis, quæ temperat hyberni frigoris violentiam.

Est & pruinæ & roris certa vtilitas. Cum enim illa ex congelato vapore nascatur, hic ex temperate calido & frigido oriatur, facile intelligitur vtriusque finem esse, vt humectationem affundant terræ, quod vel Virgilij testimonio erat notum commendantis Mantuana pascua à beneficio roris.

Et quantum longis carpunt armenta diebus,
Exiguo tantum gelidus ros nocte reponit.

Præest autem huic beneficio Luna, qua silente ros vberior funditur, attrahente humido calore Lunæ tenuiores vapores, & ob imbecillitatem virium rursus dimittente versus terram relabentes, & in aquam guttatim resolutos.

De vsu metallorum cogitanti mihi hæret ac dubitat animus, quid dicendum sit, cum ijs, hominum petulantia ad luxum, superbiamq́ potissimum abutatur, certum tamen est, cum calor & humor in his quoq́ terræ recrementis mirificê regnet, adeo vt et calefaciēdi, abstergendi, expurgandi et refrigerandi, astringēdiq́ vim pleraq́ metalla in se habeant, naturam ex vtero terræ hæc dona sua proferre atq́ largiri hominibus, vt fa-

vt facultatem medendi adiuuent Nec enim omnino nihil intellexerunt, qui opinati sunt vaporibus ex metallorum natura expirantibus non parum ipsam herbarum varietatem adiuuari, quam tamen opinionem, vt ad occultiores causas caligantem in medio relinquimus, effectus certè minimè obscuros experientia monstrat.

Mira vis inest auro non modo expurgandi venenosos halitus à corde, sed etiam suauiter afficiendi atq; recreandi cor ipsum, & absumendi putredinem. Ideoq; hodie crebro etiam vescuntur auro, qui lepram metuunt. Habet enim hanc vim admirabilem ex seminibus, ex quibus nascitur, videlicet ex argento viuo, & ex sulphure. Hæc enim sunt materialia principia metallorum & metallarium, gignente ex se terra aut vaporem humidum, rarum, subtilemq; & vnctuosum, ex quo fit argentum viuum, aut exhalationem sicciorem, subtilemq; & pinguiusculam, ex qua Sulphur viuum nascitur. Etsi autē hæc ipsa per se δελιτήρια sunt: tamen commode temperata in metallicis corporibus aut recrementis venenosam naturam exuunt & mansuescunt, vt sint salutaria. Annotat Gellius lib. 10. cap. 10. vt cordi haberetur honor, veteres eo in digito annulos gestasse, qui est minimo proximus in sinistra, quòd inde tenuissimus neruus ad cor vsq; pertingeret, cum eoq;

esset

esset quasi cum principali viscere connexus, sed reuera aureos annulos non tam cohonestationis, quàm sanitatis causa hoc modo vsurpauit antiquitas, cum singularem sympathiam habeat aurum cum corde, sicut & de herbis quibusdam cognitum est, vt de Helenio, & de Cirsio, quod Nepenthe esse Homericum autumant, quodq; Buglossum est & Borrago paßim vocatur.

Porrò, quod neruum Gellius hic vocat, rectius arteriam dixeris, cum nerui inseruiant motui & sensui, arteriæ vitalem sanguinem deuehant. Quin & purulenta extußientibus, & iam fomenta φυσικὰ alentibus sulphur dari Plinius affirmat in vino sumptum, quod calfacit & discutit lentos in pulmonibus humores, vt excreari expirando poßint, Cum aceto illitum aut terebinthina ad lepras extrahendas, sanãdasq; efficax esse sulphur idem asserit. Astringunt & coercent excrescentia, cohibent pustulas, eluunt sordes & vlcera, chrysocolla, stibium, flos æris, litargyron, &c. Quàm mirando effectu salem natura gignit, efficacemq; reddit ad vsum hominis, quo quidem ille minus carere potest, quàm auro & argento, vt non absurde dixeris, nihil esse sale & sole vtilius? Dißipat, expurgat, digerit, astringit, exiccat, vindicat à putredine, lassitudines item & humores neruis adhærentes dis-

cutit. Ideo & plantis pedum infriatur, & humeris in aqua calida infusum aspergitur terendo.

Sed omittamus hæc, quæ naturæ vi ac motu varie incitatis vel in aëre vel in aluo terræ expressa rectißime inanimata corpora nominantur eò, quod tantum naturali virtute & agilitate informata cum animæ viribus nihil commune habent, vt Platonici ineptißime nugati sunt, etiam stellis, metallis ac gemmis motiuam animam affingentes, & transeamus ad spectaculum rerum animatarum, quibus aut vis inest vegetabilis aut sentiens, aut quæ hæc duo complectitur, ratiocinalis. Ac primum referamus oculos atque animos ad pulchritudinem, quam terra ex facie sua, vt ita dicam, tanquam formam ex natiuo succo efflorescentem progignit atq; ostentat mortalibus, quæ ex plantis & frugibus elucet.

PLANTAS vocamus τὰ φυτὰ, Græcis à crescendo, à propagando Latinis dicta, siue hominum studio, siue sua sponte plantentur. Harum species sunt herbæ & frutices. Hic vero se aperit latißimus & maximus campus de ratione crescendi, de differentia specierum, effectionumque, deq; amplißima vtilitate cogitantibus. Nobis ob immensam varietatem & copiam plantarum placeat contentos esse ea cogitatione, quæ recreat, nō quæ satiat. Idcirco auditores ad scriptores

res remittimus, Theophrastum, Aristotelem, Galenum, qui & causas & historias plantarum commendarunt posteris. Agendæ vero etiam Deo sunt gratiæ, quod studio doctissimorum virorum, qui naturas herbarum, distinctionesq; formarum & effectionum adeo accuratè explicuerunt nostro tempore, vt herbarum cognitio nunc demum restaurata esse videatur, quanquam non procul ab agro Ienensi, in monte sereno supra triginta herbarum species inueniuntur in hunc diem, nec medicis, nec ipsarum officinis cognitæ. Adeo herbarum ferax est natura, vbiq; spargens hæc terræ munera ad vsum, commodumq; mortalium. Sed pergamus frui nostra contemplatione.

Animaduertit humana sagacitas etiam plantas ex temperatura calidi & humidi nasci, ex ortu interituq; ipsarum ratiocinante experientia, sumpto comparationis exemplo ab animalibus, cum constet deficientibus calido & humido, diminutionem quoque naturalis vigoris statim subsequi. Et quoniam vegetatio pars est animæ, & ex humore terræ vegetabili palam sit, plantas progigni accedente vi efficiente ex virtute cœli, & ex vigore seminali sparso in gremio naturæ. Ideo inter animatas substantias plantæ quoq; recensentur, in quibus potentia vegetans inest, abest autem sentiens. Porrò differentias

plantarum cum numerare nemo mortalium ſcite, recteq́ poſſit, ex his herbas conſideremus, quantum poſſumus.

Naſcuntur vero herbæ cibis & remedijs ita menſuram delitijs auxilia miſcente natura, vt inquit Plinius, in quibus miraculi locum præter ordinem creſcendi, vices, ætates, arcanaſq́ vires, etiam illud obtinere merito debet, quod quaſi in tribus & familias diſtinctæ, & ipſa cognatione inter ſe tanquam ſanguine coniunctæ ac confœderatæ vires communicant & ſuppetias inuicem ferunt aduerſus agmina morborum pro genere humano pugnantes. Hæc συστρατεία vel συμμαχία quaſi duplicem exercitum ducit, προφυλακτικὸν alterum & alterum ἀλεξιφάρμακον, cuius exempla cognoſcet plenius, qui miſcendi modos apud medicos conſiderabit. Hi namq́ deprehēſis temperamentis herbarum, ex humidi, calidi, ſicci, & frigidi natura gradus conſtituerunt proportionum, quibus monſtrant proprietatem effectuum, vt quia vis calida & aeria ineſt hyſſopo & rutæ, calfaciendi nimirum & extenuandi ac purgandi, eademq́ temperatius ineſt quoq́ Oxali & Acantho cum facultate detergendi & expellendi. Docuit & ratio & vſus potionem ex ſucco iſtorum, & aqua horum contemperatam præſens eſſe προφυλακτικὸν aduerſus peſtem.

Diſtra-

Distrahit autem venenatos humores & Spiritus circa cor, detergit, absumit & expellit.

Sic infectis etiam lue præsens remedium affert decoctio radicum Smyrnij, gentianæ, tormentillæ, serpentariæ, foliorum acetosæ, acanthij, scabiosæ, scordij, quibus addi solet mali medici semen & terra Lemnia, ita vt seruata ponderum proportione decoctio fiat in aqua acanthij. Verum ne quis mihi occinat Horatij illud, Quod medicorum est, promittunt medici, relinquo exempla ipsis officinis medicorum, memor propositi nostri, quo sapientiam & bonitatem Dei admiramur, & omni veneratione merito prosequimur. Ea verò non ex vniuerso herbarum quasi synedrio tantum, sed etiam ex beneficio singularum elucent, dum veluti beneuolentiæ interiore affectu etiam singulæ singulis visceribus humani corporis nasci videntur, vt agant custodes sanitatis.

SPLENI auxiliatur mirificè Teucrion, quem induratum emollit adeo, vt vsu sit cognitum, alligatum sinistro hypochondrio sudorem extraxisse ipso etiam calore prodentem bilis abundantiam. Absynthium quia calfacit & modice astringit, ventriculo natum dixeris, cui inhærentes sordes abstergit, bilem absorbet & subducit per intestina, mouet ac pellit vrinam, sedat inflationes ventris, moderate tamen vsurpari o-

portet ob vim caloris. Commendat autem & Dioscorides Absynthite vinum, quod vim habeat discutiendi fastidia & accelerandi concoctionē, et dispellendi flatus præcordiorum, vtilißimum vero ventriculo Smyrnion est, eum calefaciēs, aperiens mesaraicas, purgans epar, et præparans concoctioni, conducens sanguini & Spiritibus.

Hyssopus & Helenium præcipue pulmoni inseruiunt, cordi famulantur Cirsion, Crocus, Libanotis. Epatis obstructionem peculiariter aperit Eupatorium. Cerebro conducunt omnes herbæ suauiter olentes, præcipuè tamen amaracus, Abrotonum, Pulegium, Saliunca, Lauendula.

Porrò quotus est mortalium, qui chirurgicæ artis beneficium piè consideret? cum ne illi quidem, qui nomen sibi ab hac vendicant, disserere de virtutibus herbarum poßint, quarum ope vtuntur, non instructi delectu conuenientium facultatum, sed imbuti opinione vagæ atq; incertæ imitationis, qua potiones, vnguenta, malagmata, cærota & id genus alia profeßionis huius adminicula ad descriptam formam antecessorum magis, quam ad normam iudicij componunt. Quis autem numero compræhendat vulnerarias herbas, quas rerum opifex huic negotio peculiariter præsto esse voluit? in quibus principatum tenent quodammodo Centaurium minus, plantago, pene

go, pentaphyllon, Eupatoriũ, Symphyton maius, Betonice, Aristologia, polium, scordium, & aliæ multæ à recentioribus vsu maximo inuentæ, vt sanicula, synabia, verbena germanica, mater syluia, pyrola, quam Dioscoridis limonium esse affirmant hodie medici. Ex hac herba potione confecta, succo eius decocto in vino omnis generis vulnera quantumuis tetra & contumacia sanata esse ab insigni chirurgo Imperatoris Sigismundi in bello ciuitatum, vt vocant, Anno Christi 1 4 5 0. historiæ ipsius annotato testimonio affirmatur. Tantæ enim esse efficaciæ traditur, vt etiam sagittas & effracta ossa ex vulneribus expellat. Vsq; adeo etiam in minimis naturæ partibus lucet, ac late splendet decus omnipotentiæ ac maiestatis diuinæ.

Sed & vices crescentium & ætates in admirationem conditoris ducant, qui alias alio tempore nasci ac prodire in vsum hominum voluit, vt nullo non tempore solatium valetudinis haberet homo sua culpa morbis obnoxius. Seruant in crescendo ordinem, & tanquam virginei chori agmen aliud alij succedit ipsa ætate differentiæ causam efflorescentibus afferente. VERE prodeunt primi flores, violæ albæ quidem illæ & purpureæ & flammeæ vel luteæ. Deinde rosa, & paulo post eius æmula anemone, mox

etiam lilium. Deinde œnanthe, helichrysum & hyacinthus. Mox succ edunt æstiui, Iris, Azaron, chrysogonon, chrysanthemon, narcissus, saliunca. AVTVMNVS colchicum, & crocum producit, scordion & polium. Per HYEMEM & omni anni tempore durant Chamædaphne Plinio dicta vinca peruincam, limonion, Amarantus. Hoc ordine crescunt ac decrescunt, abeunt & succedunt. Interim delectantur aspectu, recreant odoribus, instruunt mensas dapibus, medentur succis & liquoribus, nec viuæ modo & floridæ, sed etiam demortuæ atq; aridæ beneficio afficiunt hominem.

Sed silentio prætereundum non est arcanum insuper & latens bonum in aspectu herbarum, quod filius Dei ipse explanat, dum inspici iubet spectatißime florentes & indutas ampliore dignitate & pulchritudine, quàm spectari in vlla pompa regia potest. Neq; enim sic ornatæ κωφὸν πρόσωπον agunt, sed velut ad gestum compositæ renidenti vultu concionantur hominibus de omni ratione officij, sapientiam Dei, bonitatemq;, & prouidentiam tanquam digito commonstrantes. Quid enim suauius & iucundius dici potest? quàm inesse herbis disertā quandam SVADAM & mutā eloquentiam concionantem hominibus de Deo, quod facile animo deprehendas, si aliquam herbam intuearis à radice sua tanquam

funda-

fundamento corporis accrescentem, caule staturam corporis, thyrso faciem ipsam & caput, & surculis brachia quasi præ se ferentem, personam gerere creaturæ concionantis hominibus, & in hanc veluti vocem erumpere, si non auribus, animis tamen non stupidis percipiendam.

Me spectate ignaui mortales & diffidentes autori & conditori vestro, sic ornata & illustrata à Deo fungor meo officio, nihil denego commodis vestris, ad quemcunq; vsum deposcar, nec inuideo vtenti, nec inuita vel succum, vel odorem suppedito, nec anxia sum de me, quocunque rapiar. A Deo condita sum, eius gloriæ inseruio, à Deo viribus instructa pulcherrime exornata sum, eius sapientiam, bonitatem, prouidentiam ipso habitu meo & forma, ostento & gloriose prædico, ad laudem Dei hortor atq; inuito spectantes, vitam duco, quoad Deo placet, illi cum visum est, moriens cedo alijs. I nunc ô homo peruersissime, intuere in me speculum conditionis tuæ, mitte dubitationem de Deo, mitte curam & impiam sollicitudinem rerum mundanarum, agnosce vel meo exemplo te ad celebrationem Dei esse conditum, & ad commodum societatis humanæ, sustine Dominum, & ora eum. Quod si tanta pulchritudo in me, quæ hodie florens conspicior, cras in ignem forte conijcior, ab ipso

omnium rerum opifice proficiſcitur, quantò eſt tum decus præſtantius, qui ad ſempiternam gloriam, vitamq́ perennem conditus es, vt æterna luce diuinæ ſapientiæ cum DEO ſine ſine fruaris.

Ad ſtirpium naturam frumenta quoq; & fruges pertinent. Sed de his ita loqui placet, vt non modo originem & finem eorum, ſed etiam admirandam durationem conſideremus, & perennitatem. Erat ſanè res plena oneris ac laboris, mutari rerum naſcentium ſpecies atq; ideas fruſtrata ſpe atq; ſtudio ſationibus præcipue atq; inſitionib. intento, vt interim de animaliũ atq; hominis procreatione & formatione ſilentium agamus. Huic moleſtiæ benigniſſimus Pater cœleſtis cõſuluit, dum ſpecierum ſimilitudinem condidit. Itaq; ſicut paterna prouidẽtia voluit certis anni vicibus non intermitti ſuo tempore cœlum miteſcere, arbores frondeſcere, vites lætifice pampinis pubeſcere, ramos baccarum vbertate incurueſcere, ſegetes largiri fruges, florere omnia, fontes ſcatere, prata conueſtirier (Nam hæc libet cum Cicerone recitare autoritate veteris Poetæ) Ita voluit perpetuam eſſe ſimilium ſpecierum conſeruationem, ne nimis anxie colluctandum eſſet mortalib. cum incertis beneficijs naturæ. Laborem & ſtudium quærendi ex terra victum mandauerat homini-

minibus, longe tetrius ac tristius seruitutis & supplicij genus promeritis, his tamen quæ eius est paterna bonitas, desiderium & spem prouentus ex terra, certitudine conformium & perennium specierum in rebus crescentibus mitigare & consolari voluit.

De hoc dono diuinæ prouidentiæ optime disserunt hi versus Manilij:

Hoc opus immensi constructum è corpore mundi
Membraq; naturæ diuersis condita formis,
Vis animæ diuina regit, sacroq; meatu
Conspirat Deus, & tacita ratione gubernat
Et multa in cunctas dispensat fœdera partes,
Altera vt alterius vires faciatq; feratq;,
Summaq; per varias maneant cognata figuras.

Quæritur autem de causa durabilitatis similium specierum in natura, cum mira res sit & digna indagatione granum tritici, hordei, milij, sinapis, aut aliarum herbarum semina similes ex se substantias & formas perpetuo producere. Philosophi cum de anima vegetante, de principijs, de mente æterna agitante atque incitante naturam disserunt, multa probabilia afferre videntur, quæ tamen si penitus introspicias, similia esse dicas imagini, quæ in aquam prætereuntem spectanti redditur. Esse quoddam ψυχικὸν πνεῦμα à DEO infusum

natu

naturæ, quod vim nascendi & minuendi impellat, nõ absurde Platonica & Pythagorica doctrina commonstrat, quam sententiam Virgilius expreßit his versibus, 4. Georg.

Deum namq; ire per omnes
Terrasq;, tractusq́; maris, cœlumq́; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarũ.

Absurda hæc aut inconuenientia non erant, nisi humanæ rationis fermento essent illita, quæ dum Spiritum istum omnia vegetantem non satis liquido intelligit, affingit quædam de suo adumbrata, non expressa ad veritatis similitudinem.

Primum quod dicit, omnia sumere initium nascendi & vitam ipsam à diuino spiritu, dextrè intelligi potest, sed cum duo sint rerum principia, diuinum scilicet istud, & vt vocant ψυχικὸν πνεῦμα, Sicut & in Genesi ostenditur, Spiritus super abyssum, & materia prima, quam ὕλην Plato vocat, cognatam in elementis, Virgilius hoc loco commiscet ὕλην cum principio sustentante, hoc est, materiam cum opifice, & æternitatem tribuit causis secundis, quæ tantum est in prima, Platonicorum falsa argumentatione deceptus ex æquiuocatione: Deus est omnium principium, & est æternus, Omnia redeunt ad suum principium, quæcunq; vitam habent, Quia non intereunt, sed commutatione resoluuntur per gene-

generationem & corruptionem, vt induant alias species, motus, qualitates &c. Ergo omnia sunt æterna. Respondeo, vitium est in æquiuocatione, Principium aliter significat in maiore, videlicet opificem vel creatorem, aliud in minore, scilicet materiam vel creaturam.

Sunt igitur diuersa subiecta, vt in opifice & horologio. Horologion est principium suarum actionum, sed gubernatur instructione opificis. Non sequitur autem, Opificis mens immortalis est, qui condidit horologium, Ergo & horologium æternum est, Agnoscis inquinatum fonticulum absurdi dogmatis, quo Platonici nugati sunt animas à dæmonijs & stellis halitum accipientes de cœlo in terras delabi & ex terris in cœlum remeare rursus, & animata recipi in ordinem naturamq; siderum, quibus & ipsis animas stulta opinione attribuerunt. Videtur & Pythagoræ commentũ longe ante Platonem ex tali speculatione ortum de μετεμψυχώσεως & παλιγγενεσίας. Sed has nugas omittamus.

Possunt cogitari vtcunq; principia, materia, forma rerum nascentium, sed modum & vim nascendi, status, incrementa, metas admirari potest ratio, intelligentia autem plene assequi nõ potest, sic ut aliquis horologij organis pulcherrime instructi actiones intuetur & formam, rationem

tamen

tamen & magisterium non statim intelligit. Maneat ergo nobis hoc fixum, specificarum qualitatum ac durabilitatis ipsarum sufficientem rationem dari à Philosophis non posse, Sed Dei, qui est unus omnium, quæ sunt, quæq; esse videntur, Princeps & origo, efficaci spiritu, hoc est, potentia fouente & sustentante naturam quibusdam rebus à prima origine peculiares vires infundi, qua simile procreat simile, & conseruatur similitudinis progreßio, quoniam ita ideas rebus conditor distribuit, quas seruat eo modo, qui ex nulla indagatione qualitatum aut causarum deprehendi ab homine potest.

Vocat autem & Psalmus 103. Spiritum Dei tum statum & durationem, tum modos etiam crescendi & deficiendi in rebus animatis. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum reuertentur, emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sic in Genesi, Spiritus super abyssum vocatur potentia Dei, conseruantis & fouentis omnia. Hæc de causis, vnde sit in natura similium rerum continua procreatio & conseruatio, monere volui, vt Philosophica sententia, quæ miscet secundas causas, cum prima discerneretur.

Quemadmodum autem quædam vina ea sunt præstantia atq; vigore, vt gustata magis conducant, quam potata: ita quo altius hæc cogi-

tatio de causis apud animum suscepta fuerit, eò magis periclitabitur iudicium scrutantis. Proinde sapienti architecto naturæ modum actionis suæ reuerēter relinquamus, & fruamur pia admiratione operis arcani consectationeq; beneficij & vtilitatis. Quantum habet admirationis insitio arborum, dum videre est truncum sexagenarium implantatam sobolem sustinere, ædificij instar multis trabibus contignati, copiose & late ramos extendentem. Quàm fit admirabili ratione, vt granum frumenti, siccum atq; aridum proiectum in sulcos terræ velut è mortuo cadauere vitam accipiens, accrescat atq; adolescat, eò vsque, dum multiplici fructu præsidium vitæ humanæ afferat?

Traducat nos ad rem ipsam, tum studium, tum delectatio cogitandi prouentum ex terra tritici intuentes. Primum nudum aque emortuum granum proijcitur, & quasi sepelitur in agrum, mox occatione cohibitum à terra, putrescit, tepefactum vapore terræ altera sui parte radicem, altera germen extrudit, multis radicatur fibris, vt tenacius cohæreat solo, ne per hyemem, dum in herba est, euellatur frigore, cui periculo præsidium à niue est, hæc tegit ac fouet in agris sparsa semina. Porrò, verno tempore cum iam herbescen-

tem viriditatem effudit, lætius adolescit, & fastigiatur in culmum, hic innodatur geniculis, vt aduersus flatum ventorum consistat, nec decumbat humectatus imbribus. Culmus deinde vaginatur, hoc est, vaginis velut membranulis includitur, vt conseruetur sanitas medullæ, in qua vis est crescendi & vitæ, vt in homine humidum radicale. Ex vagina emergens spicam fundit, quæ suo ordine structam frugem continet folliculis vel glumis induta, tanquam receptaculis granorum enascentium & munita aristis aduersus impetum auium. Ita informatum, absolutumq́ granum tritici post sementem suo tempore in messem prorumpit, & circiter quadraginta alia, sæpe etiam plura sibi conformia grana producit.

In hac crescendi ratione mirum spectaculum est ipsas herbescentes segetes quasi castratione resectas vberius crescere, eo more ac modo, quo Plinius affirmat Amarantum decerptum lætius renasci. Exemplum singulare recitat Plinius lib. 18. cap. 20. in agro Treuerico compertum. Ait enim hyeme prægelida adustas segetes mense Martio resectas & resarritas fuisse, & inde messem vberrimam prouenisse. Hodie hæc castratio, vt ita appellem, in vsu crebro est nostratibus colonis, qui segetem verno tempore emergentem in folia resecant, resectumq́

gramen pecori pabuli loco præbent. Refert hæc res imaginem quandam status, in quo Ecclesia versatur, quæ depasta à Tyrannis semper lætius renascitur, ut Tertullianus inquit: Effuso martyrum sanguine impinguatur ager Ecclesiæ, sic grani in agro sepulti viuificatio illustris typus est gloriosæ resurrectionis & immortalitatis nostræ, qui in Christo resuscitati à mortuis noua vita & gloria induemur coram Deo, in consuetudine vindicis nostri cœlestis, & in societate angelorum & sanctorum acturi vitam vere beatam & sempiternam.

Porrò quasi non satis habeat hæc effusa liberalitas diuina, hoc beneficio affecisse homines, ut vnicum granum tam numerosum fructum ex se gignat, occulto insuper & non animaduerso incremento cumulat, atq; adeo adauctat large atq; munifice fruges tum crescentes, tum demessas etiam & in horrea congestas, ut totos imbres, & fluuios beneficentiæ quotidie spargere in genus humanum rectißime dici poßit. Si enim subduceretur ratio annonæ in quauis ditione vel agro seorsim æstimato, & è regione fieret collatio multitudinis sustentantium vitam annuo annonæ prouentu, longe excederet numerum, mensuramq; frumenti, ipsa frequentia & copia vtentiũ. Nec dubium est, si singulis hominibus in agris & oppidis suum demensum appenderetur, magnam par-

tem generis humani quotannis fame perituram esse. Huic periculo succurrit omni momento εὐδοκία καὶ χρηστότης patris cœlestis, vt in penu esculenta, in cellis poculenta, imò in patinis epulæ ipsæ, & in ore vescentium mansa quoq; diuino aspirante numine succrescant, ac salubrem victum suppeditent.

Huius diuinæ largitatis vim vberrimam & inexplicabilem admiratus olim FRIDERICVS DVX SAXONIÆ ELECTOR sapiens merito dictus, iussit in comitijs Imperij Coloniæ Agrippinæ habitis in numerum referri, quicquid panum vno eodemq; die pinseretur per omnes vrbes, vicos atq; Insulas, Deinde collatione hominum vescentium fact adeprehensam hanc εὐδοκίαν DEI magnifice prædicauit Imperatori, Maximiliano, & alijs Principibus illustri exemplo suæ obseruationis gloriam & maiestatem Dei, pio & grato animo celebrans. Opinor autem sapientissimum Principem, tum alijs locis Psalmorum, tum eo maximè inuitatum atq; permotum fuisse, qui in Psalmo 104. tria genera eorum, quæ ad victum pertinent à Spiritu sancto prædicata illustri descriptione ob oculos ponit, nimirum vinum, panem & oleum. Hæc .n. tria, cum de fœcunditate terræ, generatione animalium & productione pabuli dixisset, maximè hominis causa nasci, & ad salubritatem

tatem

tatem consecrari ostendit, vt vinum lęticia afficiat cor hominis & oleum faciem eius exhilaret, & panis corroboret cor hominis. Hæc tria singulari consilio à Spiritusancto disertè expressa esse hoc loco & coniunctim enumerata, non tantum, vt sint condimenta vitæ humanæ, sed etiam vt sint testimonia diuinæ benedictionis, vel hoc indicio agnosci potest, quod immensum planè opus susceperit, quisquis horum discrimina & proprias vires ex diuersis, tum qualitatibus, tum effectibus explicare, & ordine demonstrare cupiat.

Etenim vinum, quod natalibus, ætate, qualitate, sapore, odore et colore miras habet differentias, non modo alimenti, sed etiam medicamenti vim & facultatem præstat mortalibus, quod cum syncerum est, maximè id, quod inter dulce & austerũ medium est, & colore album, ob vim calefaciendi, purgandi, resoluendi & detergendi, si moderate bibatur, facile in membra digeritur, ventriculum benigne afficit, inuitat appetentiam, iuuat concoctionem, purgat epar, generat sanguinem, recreat viscera, iuuat & firmat neruos, promouet vrinam, conciliat somnum, Deniq; vires alit, & auget robur totius corporis, & natiuum calorem ex bono habitu corporis quasi egerminat.

Habet autem singularem συμπάθειαν *cum corde, quod ipsum temperato suo calore ac vigore suauiter aperit, iucundeq́ affectum angustia humorum soluit, vnde dilatatum subtiles spiritus suauiter exhalat, placide recepti in cerebrum, dum leniter dißipant molestiores phantasias, gratam subleuationem animo & læticiam afferunt. Quod eleganter verbis exprimit Socrates apud Xenophontem, in symposio,* τῷ γὰρ ὄντι ὁ οἶνος ἄρδων τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοὺς ἀνθρώπους κοιμίζοι. τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει. *Ita Deus vinum, quod mirabili ratione & nasci & nutu diuino consecrari in vsum hominum videmus, condimentum esse voluit humanæ miseriæ, qua laboramus ob contagium primorum parentum. Et læticiæ causa, non ebrietatis aut satietatis gratia, veteres olim in conuiuijs vino vsos patrum Ecclesiæ mores imitatos, vel ex Homero apparet, Odyss. 4. qui Helenam Græcis conuiuantibus miscuisse vinum tradit ea herba, quæ curarum obliuionem induceret, quam ob id Nepenthes appellat, quasi vacantem luctu ac dolore.*

Ac mihi arridet commentum cogitanti de his tribus beneficijs, quæ aliàs apud Græcos prædicantur, vino, scilicet & legitima coniuge, & bono amicorum colloquio. Hæc enim rectè dici possunt

possunt condimenta ærumnarum humanarum, sicut his versibus quidam comprehendit.

Hæc hominum poterunt tristes condire labores,
Et vinum & mulier, colloquiumq; bonum.

Miscet apud Homerum Helena vinum, per quod significatur simplicitas victus & temperantia, iniicit herbam Nepentheos, quam alij Helenium putant, alij Cirsium, quicquid fuerit, quiddam significat, quod animos à curis soluat, & lætícia afficiat. Huic rei quid in conuiuijs optari poterat conuenientius, quàm honestum & suaue colloquium?

Vides igitur ad quem finem in Psalmo celebretur vinum, quod cum intelligis, scire debes res omnes creatas à Deo, vt vsui hominum inseruiant, per se esse bonas ac salutares rectè vtentibus, Abutentibus vero iure quodam suo pro accepta ignominia sæpe etiam detrimentum & perniciem afferre. Itaq; non desunt scriptores, qui vinum etiam inter δηλητήρια et lethalia venena recenseant immoderate sumpta, & ingurgitata, Nimius enim vsus vini, iecur & lienem & renes obturat, vnde intemperantes vel in aquam intercutem, vel in phthisin, vel in lithiasin incidere necesse est.

Proinde meminerimus sententiæ Dioscoridis lib. 5. cap. 5. Non ficta aut simulata siti vinum

num ingurgitari, ſed moderate cibos vino prolui, optimũ eſſe ad conſeruandam valetudinem, alendumq́; robur corporis præceptum. Et Androcidis dictum amplectamur, à quo his verbis Alexandri Magni intemperantiam reprehenſam fuiſſe Plinius lib. 14. cap. 5. annotat: vinum poturus rex memento te bibere ſanguinem terræ. Quàm multi vero hoc ſanguine terræ ſe petulanter inficiunt hodie, dum ſulphuracea ac metallicoſa vina fruſtratim ingurgitant, paulo poſt humeris & tergo ad ſepulchrum prorepturi, crebris exemplis cum detrimento etiam multis in locis Reſpub. hoc anno experiuntur. Iam quæ remedia ex vinis diuinitus hominibus adhibeantur, cognoſci præſtiterit ex optimis rei medicæ autoribus: Hippocrate in libro de victus ratione, & de morbis acutis, Galeno de alimentorum facultatibus & de ſanitate tuenda, Aetio, Æginetæ, Plinio & alijs.

Porrò, ſicut diuina prouidentia vini liquor ad recreanda interiora viſcera conditus eſt, ita oleum deſtinatum eſt vſui, quo corpus foris iucunde & ſuauiter afficitur, id quod vocabulum πρόσωπον oſtendit. Habet enim Pſalmus 103. τοῦ ἱλαρῦναι πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ. Intelligimus autem oliuæ ſuccum, qui communi appellatione nominari oleum ſolet, quanquam apud medicos

plura

plura genera oleorum annotantur, vt quæ arte vel ex seminibus & floribus herbarum, vel ex floribus herbarum, vel ex particulis animantium decoquuntur, quorum species tamen sub hoc genere intelligi non erit absurdum. Est autem olei virtus excellens cum in fouendo sanitatem humani corporis, tum in sanandis morbis & vulneribus, vt de delitijs vnguentorum non dicam, quæ oleo miscentur. Moderatè calidum est, ideo tepefacit, mitigat, degerit, mollit, aperit, & leniter discutit illitum corpori, vigorem & robur membris addit, & lassitudines minuit, nec solum tepefacit corpus, quia poros aperit, sed & capitis feruores refrigerat, quia discutit calorem. Hæc ita peragit ratione temperati humoris & caloris. Vulnerarijs emplastris apprime conducit. Prædicat Aetius emplastrum ex vino & oleo, cum spuma argenti temperatis compositum ad purganda, glutinandaq́; cruenta & hiantia vulnera efficacissimum.

A sanandi vero facultate tropus sumitur in sacris literis, vt oleum significet gratiam diuinæ misericordiæ, qua filius Dei abluit, & sanat vulnera peccati inflicta humano generi, à serpente Diabolo, quemadmodū præclaro exemplo Lu. 10. parabola declarat de semimortuo & Samaritano dulcissima imagine Ecclesiæ sauciatæ, & Christi salutaris medici. Etenim in eo qui incidēs in latro-

nes acceptis multis vulneribus semimortuus prosternitur ac relinquitur, Exemplum proponitur corruptæ naturæ humanæ & sauciatæ à Diabolo. Iacet hæc in via publica, ac colluctatur cum doloribus, hoc est, obruta peccatis, eget releuatione. Sed Sacerdos & Leuita transeunt, nec quicquam opis neglectæ adferunt, hoc est, lex Mosis & traditiones humanæ iacenti & egenti auxilio opitulari non possunt. At vero veniens hospes Samarita, hoc est, Christus erigit semimortuum, abluit vulnus vino & salutare oleum infundens obligat & sanat. Vinum significat legis concionem rodentem & fermentantem corda expauescentia, vt agnoscant peccata, & quærant auxilium. Oleum Euangelij doctrinam significat, quæ agnoscentes delicta & confugientes ad mediatorem, erigit, consolatur, verè sanat & conseruat gratuita acceptatione. Porrò quàm est suauitate plenum Samaritam non modo obligare ac curare tetre sauciatos, sed etiam deportare in hospitium, hoc est, regnum cœleste sic curatos & persoluere precium pro ipsis, vt perpetua cura & bonitate patris cœlestis conseruentur. His testimonijs vox diuina exornat oleum, vt rem ad multos necessarios & vtiles vsus à Deo conditam, cuius dignitatem etiam miraculose condecoratam fuisse sæpe, obscurum non est. Etenim anno tertio Imperij Augusti trans Tyberim non pro-

procul ab vrbe Romana ex terra instar fonticuli erupisse oleum & integrum diem continuo fluxisse annotatum est. Quo prodigio multi piè opinati sunt, Christi gratiam gentibus fuisse præmonstratam.

DE MORBORVM SANATIONE exempla medicorum libri abunde suppeditant, qui inunctionibus sæpe causas periculosissimorum morborum depellunt. Nam ex intemperantia victus sæpe vel renes & οὐρητῆρες, vel vesica, vel in intestinis κῶλον copia prauorũ humorum, vel oblinantur, vel intumescunt, vnde cruciatus intolerabiles & morbi difficiles existunt. His succurritur commodissime inunctione olei vel rutacei vel anethini, vel Chamæmelini, aut liliacei, quibus inest vis mirifica resoluendi lentos humores, & mitigandi dolores, propterea neruis etiam opitulantur in conuulsionibus, & expellunt frigidos & tenaces humores. Atq; hæc beneficia curandorum morborum præstat oleum, tum per vnctiones, tum per clysteres adhibitum, tum etiam cum cibis ventriculo ingestum, vt in dyssenteria præsenti remedio sanat exulcerata intestina, maximè si cum floribus sit confectum, qui refrigerandi inflammationes facultate præditi aliqua sint, vt nymphea & viola &c.

Edendo etiam esse oleum, qui non ignorant, eius beneficium rectius intelligunt, Cum enim à

putredine conseruet, & sanet exulcerata atque erosa, dubium non est salubrem esse victum ex eo frugaliter & prouide comparatum, vnde & cibarium appellatum est, & eo vsu apud Italos receptum in coquendis esculentis, quem apud nos præstat liquor ille pinguior ex materia lactis coactus, quod butyrum nominamus, Hæc cogitatio de vsu olei satis declarare legenti & consideranti poterit, quare Psalmus dicat exhilarationem quoque esse in oleo.

DE VSV PANIS.

Post Encomium vini & olei etiam panis vsum & dignitatem Psalmus describit hoc effectu, quod cor in homine firmet & corroboret. Magna vero suauitate etiam hæc pictura afficiet cogitantem, si & naturam cordis & rationem nutrimenti, quo corpus humanum conseruatur, considerare voluerit, Cor fons est vitalis caloris, sed hic ex naturali ortus vitæ quasi robur accipit à nutrimentis coctis primum in ventriculo, mox in epate conuersis in sanguinem, qui affusus cordi spiritus materiam suppeditat. Saluberrimum vt hominis alimentum panis est. Hinc obscurum esse cogitanti non potest, quare Psalmus hunc vsum pani cum honore tribuat, vt dicat eum robur cordi addere, sed placet hæc ex natura

frumentorum paulo altius recognoscere, vt tantum beneficium Dei sanctiore recordatione contemplemur.

Voluit Deus hominem labore & sudore victum quærere in pœnam tetri & horrendi lapsus, sed vt victus esset salubris & innoxius, condidit in corpore humano culinam, in qua succus conficeretur, qui sparsus ac deriuatus in vniuersum corpus perpetuò alimento vires, habitumq́ corporis conseruaret. DVAE autem sunt res conditæ alimenti huius causa, in quibus cognatio est cum corpore humano, ita institutæ prouidentia diuina, vt primo in succum, deinde in sanguinem, tum vero in nutrimentum verterentur. Hæ sunt frumentum & caro animalium. Ac de victu ex animalibus hîc dicendi nobis locus non est, quem prædicat Psalmus 103. alibi, cum pecudes, volucres & pisces describit. TANVM beneficia consideremus, cum ad institutum nostrum hoc proprie pertineat.

Experientia notum est, obstructiones epatis & reliquorum viscerũ gignere sæpe lethales morbos, quod futurum erat crebro, si homines glandibus & radicibus vescerentur, vt fabulantur veteres Poetæ. Huic malo cõsuluit Deus frumentorum beneficio, quæ ideo condidit, vt inde fiant panes boni succi. Inter frumenta autem

ex-

excellunt & præstantiora sunt adoreum & triticum & olyra. Minoris notæ & facultatis sunt Zea & hordeum, Leguminum mentionem non facio, quoniam eorum usus apud nos non est in pinsendis panibus, nisi raro & extrema necessitate urgente. ADOREUM, cuius species far nominatur à scriptoribus, ignoramus, sicut & eas formas farris, quas varijs epithetis enuntiari apud rei rusticæ professores legimus. TRITICI sunt certæ species, & quidem variæ pro locorum natura. Columella has recenset, fortaßis ut præcipuas, robum & siliginem. Ac ROBUM dicit pondere & nitore præstare, sicut & nos dicimus, Den volkomesten / mehlreichsten / unnd schönsten Weitzen. De hac specie intelligo Galenum, cum inquit: Inter tritica plurimum habent alimenti, quæ densa sunt, totamq; substantiam habent adeo compactam, ut dentibus vix diuidi queant. Significat autem hæc semina tritici laxis esse & grauiora & flauiora (Hartkorn.)

SILIGO videtur esse species tritici magis teneri & leuioris, quod Senecæ verba ostendunt, qui panem delitiarum tenerum & siligineum appellat. porro flos & delitiæ farinæ triticeæ simila vel similago, Græcis σεμιδαλις appellatur. Ideo Plinius lib. 18. cap. 10. ex tritico laudatißimam similam fieri dicit, quod idem est

cum

cum eo, quod supra lib. 18. cap. 8. dixerat, ex Siligine laudatißimum panem confici, Laudat vero & similam Martialis:

Nec dotes poteris similæ numerare, nec vsus
Pistori, toties cum sit & apta coquo.

Huius vsum in condimentis crebrum fuisse Apitius est autor in eo culinario codice, qui eius nomine hodie circumfertur.

PANES igitur, qui ex tritico pinsuntur, Galenus ita distinguit. Apud Romanos, inquit, Panis purißimus coquitur σιλιγνίτης, hoc est, Siligineus. Huic proximus σεμιδαλίτης, hoc est, semilaceus. Deinde αὐτόπυρος, qui fit ex farina à fursure non separata, quasi ὅλος αὐτὸς ὁ πυρὸς in panificium assumatur. Eundem & συγκόμιστον appellat, quod farina à fursure non seiungatur. Siligineo itaq; primas tribuit in nutriendo, similaceo secundas, Tertias αὐτοπύρῳ. Ex granis triticeis aqua maceratis exprimitur cremor, qui exiccatus in sole ἄμυλον dicitur, quod absq; molæ vsu conficiatur. BENEDICTUS Victorius experiẽtia esse compertum affirmat, crebro vsu ptisanæ & amyli phthisin sanari, si istius succi quatuor vnciæ, huius (scilicet amyli) duæ, commixtæ mane & vesperi cum iusculo pulli, in potionem dissolutæ exorbeantur, quod notatu non est indignum.

Est & Zea species tritici, quam Spelten nostri nominant, ex ea conficiebatur olim Halica, quanquam hoc vocabulo & frugis & farinæ ex Zea & pulticulæ vel decoctæ sorbitionis appellatio continetur, fit ex hac fruge panis plurimi alimenti, sed tardioris concoctionis, qui & minus alit, quam triticeus.

A tritico forma olyræ inter frumenta proxima est, qualitate in hoc diuersa, quod tenaciorem materiam panibus suppeditat, & ob id aliquanto concoctu difficiliorem. Alit tamen & nutrit succo non improbando, Videtur autem hoc frumentum, si ex descriptione Theophrasti apud Galenum fiat coniectura, id plane esse, quod nos Rocken appellamus. Et adfirmat Galenus olyrinos panes saltem post triticeos esse optimos. E fortaßis idem est olyra cum Typha (Stauden korn) quod Galenus dicit, paruum vel exile triticum esse, colore, densitate & caliditate triticeo non multum absimile, eamq; equis pabuli loco præberi sine noxa, cum mandere triticum absq; offensione non poßint. Hæc conueniunt cum nostro frumento, quod Rocken apellamus.

Hordeum remißius alit, quam triticum, sed laudem merito obtinet in re medica ob facultatem molliendi, mitigandi, refrigerandi, Itaq; magnum vsum habet tuum succus hordei tum sorbitio, quam ptisanam vocant, Vires enim instau-

rant; mitigant inflationes, sanant exulceratio-nes pulmonis. Et ptisanam laudauit scripto volumine Hippocrates. Quin & cinis hordei laudatur, qui ambustis illinitur & carnibus, quæ recedunt ab oßibus, & pituitæ eruptionibus, hoc est, liuentibus pustulis, quas exanthemata & papulas vocant medici.

Ostendi panum genera, vt vtilitas agnosci poßit, quæ hoc fine continetur, vt præ rebus omnibus, quæ ad victum pertinent, conuenientißimum & optimum nutrimentum præbeatur homini ex esu panum, quamcunq; speciem vsurpes. Sed quia ipsorum hominum ingens est discrimen pro ratione naturæ, negociorum, valetudinis, aliud genus panis, alijs hominibus magis conuenit, atque conducit. PANIFICIUM tamen omne huc spectare debet, vt panes probe fermentati, & pulchre subacti, antequam formentur, moderato igne sensim in clibano percoquantur. Hac ratione & concoctu facilimi & nutritionis facultate erunt optimi. Cæterum vt abusus res omnes bonas deprauat, ita fit vt cibis, qui ex farina parantur, sæpe noxa quædam insit vel hominum culpa & scelere, scrutante luxu delitias cum iustißimis pœnis coniunctas, dum πέμματα, ἴτρια, ζύμματα, lagana, spiras, scriblitas mensis copiose infert, quæ affatim comesta, quoniam craßi sunt succi, tarde subsidũt & ægre

in succum conuertuntur. Iecoris enim meatus, per quos fertur alimentum in officinam sanguinis, obstruunt, lienis imbecillitatem augent, calculos deniq; in renibus gignunt.

Recensui hactenus nutritionis commoda, quæ ex panibus proficiscuntur in corpus humanum. Longa vere oratio suscipienda esset, si medicinas explicare velimus, quæ frugibus insunt, & ex frugibus nato panum beneficio. Congeßit hæc scitè & breuiter, vt solet, Plinius lib. 22. cap. 25. eò decurrat inquisitio studiosorum. De pane tamen, quæ generatim cōmemorat, non possum hoc loco omittere. Panis inquit, hic ipse, quo viuitur, innumeras penè continet medicinas. Ex aqua enim & oleo, aut rosaceo mollit collectiones. Ex aqua mulsa duritias valde mitigat. Datur ex vino ad discutienda valens, aut quæ præstringi opus sit, et si magis etiam nunc ex aceto, aduersus acutas pituitæ fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant. Item, ad percussa & luxata, Ad omnia autem hæc fermentatus vtilior. Illinitur & paronychijs, & callo pedum in aceto veteri.

EXPLICATIO SENTENTIÆ, PANIS CONfortat cor hominis.

Iam

Iam redeat eò, unde cœpit oratio, ut perpendamus, quomodo panis confortet & corroboret vires cordis humani. Certè cum sit natura εὔχυμος & puræ substantiæ, in ventriculo commode alteratur massa eius non farctim ingesta, sed temperate immissa pro ratione appetentiæ. Deinde calore ventriculi & auxilio tum flauæ bilis, quæ irritat, tum atræ, quæ fouet & comprehendit, eadem massa mollescit, & probe concoquitur. Deinde facile in χύμον conuersa attrahitur ab epate, & quia purum & bonum sanguinem gignit, in corpus facile distribuitur, promptissime nutrit, & corpori alendo affigitur atq; assimilatur. Cor autem ipsum, in quo est officina Spirituum vitalium, affusione purissimi sanguinis recreat, fouet, corroborat, ne vel laboret materia spirituũ defectu sanguinis, vel abundet obruta crasso sanguine, & periclitetur flamma vitalis. Ita panis nutritor et medicus est cordis humani, hoc est totius corporis, quod ingens beneficium Psalmus prædicat his verbis: καὶ ἄρτος καρδίαν ἀνθρώπου στηρίζει.

His rationibus constat, nobis hoc dulcissimo encomio vini, olei & panis, prædicari bonitatem & prouidentiam Dei, quibus omnia ad vitam hominis necessaria non modo quotidie & omni momento ex munificentissimo penu largis-

ſime depromit, ſed etiam vt perpetuo durent, & cumulatiſſime conſecrata ad vſum hominis conſeruentur & ſufficiant vi atque efficacia verbi diuini, per quod condita atque creata ſunt omnia, animat, firmat, propagat, fouet, nutrit, ſuſtentat omnia, quæ ſunt in gremio naturæ. Ac mire ſuaues ſunt picturæ in Pſalmis, qui, vt hæc beneficia ob oculos hominum ponantur, Deum conditorem, conſeruatoremq́ rerum, vt patremfamilias & œconomum totius naturæ non modo inducunt nomine & appellatione, ſed etiam ipſo habitu agnoſcendum, conſiderandumq́ pingunt ac mortalibus proponunt.

In hoc ipſo Pſalmo 104. ingreditur æternus hominum & rerum conditor per vniuerſum opus creationis, tanquam ſapientiſſimus & optimus paterfamilias, indutus gloria & decore omnipotentiæ ſuæ, & amictus lumine ſapientiæ ſuæ, quæ eſt filius imago patris, aſſiſtens patri in creatione & conſeruatione rerum & hominis, in indiuidua cõiunctione comitante, & cooperante Spiritu ſancto. Ita Deus generali ſuſtentatione adeſt rebus & homini in agris, in hortis, in ſyluis, in fluminibus, in penu, in menſa, in epulis, in corporibus hominum & vndiq́ præſens munifice ſpargit ſuæ στοργῆς *paternæ beneficia, adeo vt in hunc vnum opulentiſſimum cœli & ter-*

ræ œ-

ræ Oeconomum omnium hominum atq; animantium oculi coniecti sint, ab eo vno tanquam vtraq; manu largißime effundente expectent omnis generis commoda & bona, quæ ad vsum sunt necessaria, & ad vitam salutaria, sicut suauißime pingit Psalmus, 145. οἱ ὀφθαλμοὶ πάντων εἰς σὲ ἐλπίζουσι καὶ σὺ δίδως τὴν τροφὴν αὐτῶν ἐν εὐκαιρίᾳ. Ἀνοίγεις σὺ τὴν χεῖρά σου, καὶ ἐμπιπλᾷς πᾶν ζῶον εὐδοκίας.

SPECIES QVINTA
RERVM NATVRALIum, quæ est homo.

Diuinæ εὐδοκίας *in rerum creatione & sustentatione exempla scrutati quatuor rerum naturalium formas licet procul, & quasi per vmbram hactenus commonstrauimus, expectari etiam quintam ideam rerum naturalium ab auditoribus non obliti, deinceps ad eius considerationem sermonem conuertemus. Erit autem quinta rerum naturalium forma humana species, quam intuentes animo ipsius hominis naturam, dignitatem, & fines contemplabimur. Æquum enim est in cogitatione diuinorum beneficiorum, quæ in rerum naturam diuinitus sparsa sunt, possessorem etiam tantorum beneficiorum ostendere, cuius causa omnia sunt condita.*

placere enim omnibus debet illud Stoicum, multò grauius & sanctius dictum, quàm erat expectandum ab ineptißima profeßione ferreorum hominum, & à Deo procul aliena secta, OMNIA HOMINIS CAVSA ESSE CONDITA, HOMINEM VERO PROPTER DEVM. Est enim hominis post Deum & angelos dignitas maxima, per quem voluit Deus in hoc mundo innotescere & celebrari. Ita enim condidit hominem, vt esset character & imago autoris. In cerebro sparsit diuinum semen intelligentiæ, atq; adeo disseminauit scintillas atq; igniculos cognitionum & ratiocinationis, accensos radio lucis diuinæ, quibus homo præstans reliquis animantibus, numerorum, ordinis, honestatis & pietatis rationem perspiceret, atq; inde extrueret quasi ædificium virtutum, atq; artium, veræq; agnitionis & cultus diuini, aspirante corde & delectum habitumq; constituente voluntate, quæ est velut manus cordis. Voluit autem hoc decus apta harmonia perpetuum esse in homine, quoniam oportebat eum esse admiratorem & celebratorem sapientißimi conditoris, separatum ab omni immundicie, quæ est propria Diabolis.

Porrò naturam animæ & corporis humani penitus & prolixè scrutari perinde est, ac si nouum mundum cogitando velis excutere, in quo

inopiam indagationis semper afferret copia rerum inexplicabilium. Ignorat seipsam humana ratio, & si quis causas eruere, ac demonstrare velit, unde sit in homine viuere, sentire, appetere, loco mouere, intelligere, ratiocinari, iudicare, nihilo plus aget, vt inquit ille, quam si cum ratione insaniat. Quis enim vnquam satis diserte dixit, quales hæ res sint, & vnde pendeant in homine: conseruatio indiuidui, productio ad iustam magnitudinem, perpetua conseruatio speciei. Item motus agitatio, duratio vitæ, cogitatio, memoria, cognitio, iudicium, affectus &c? Et tamen dulce est vestigia spiraculi diuini persequi, cum præsentiam naturæ deprauata propemodum amiserit. Quàm obscuræ sunt homini etiam eæ actiones, quas quisq; sentit in corpore suo fieri? & tamen plurimum conducit, tum ad valetudinem conseruandam, tum ad agnoscendum admirabilem fabricatorem humani corporis, obseruare ordinem & progressus & effectus potentiarum.

VENTRICVLVS est penu totius corporis, ex eo succus attrahitur in epar, ex quo quatuor humores generantur. Ac mirè prouisum est, vt abundantia horum humorum, ex quibus temperamentum hominis nascitur, in sua vasa & receptacula decedant, manente ea substantia, & sanguinem comitante, quæ idonea est ad certa

ministeria obeunda in corpore, Eorum porrò purißimus est sanguis, qui ad cor affusus suppeditat spiritus vitalis materiam. Hic enim velut in lampade flamma, ex purißimo sanguine in corde accenditur, & in vniuersum corpus, vt sit pabulum vitæ, dimittitur, sicut enim epar radix est venarum, ita cor arteriarum est principium, quæ vehunt flammulas vitales.

Ac iucundißima est coniunctio venarum & arteriarum & mutui officij communicatio, velut coniugij speciem exhibens, dum venæ nonnihil sanguinis communicant arterijs, Arteriæ vero par pari referentes quiddam spiritus semper ipsis venis suppeditant. Porrò ex corde exhalans flammula vitam alens ea sui portione, quæ est subtilißima & tenuißima, à cerebro excipitur, vt aiunt & exactius excocta formatur in spiritum animalem. Est autem cerebrum quiddam sui generis prorsus datum animalibus ad naturæ totius salutem, Ideo & substantia & actiones eius cognitu sunt difficilimæ. Sedem & officinam in eo conditam esse lucidißimorum, subtilißimorumq́; spirituum, qui animales vocantur, quadantenus experientia monstrat, ostenso neruorum initio, vnde sensus & motus iuxta imaginationem & deliberationem proficiscitur.

Nec aliter cogitari de actionibus cerebri potest, quàm spiritus naturæ igneæ ex corde euolantes in cerebrum, cuius natura quiddam est cœleste, ita agere, vt ab anima vel per se, vel per organa agente incitantur. Agit enim anima rationalis duplici modo, primum libere, ea vi atq; efficacia, qua est spiraculum & imago Dei. Deinde per organa regens & gubernans alias potentias. Etsi autem cum hæc animo intuemur velut in tabulam situ obductam inspicimus, tamen iucundum est cogitare de vestigijs naturæ præstantissimæ, & huc conducit hæc cogitatio vt de origine hominis & fine prolixius inquiramus & decus in nobis conturbatum restaurari à Deo petamus. Putant autem, qui hæc erudite scrutari solent, hoc modo fieri cerebri actiones, id quod alibi à me dictum, hoc loco repeti, non erit, vt arbitror, ab instituto alienum.

Sicut duo motus sunt cordis, alter qui inchoat & desinit impulsione magnæ arteriæ, cuius motu reliquæ etiam arteriæ mouentur (pulsum vocant medici) alter qui contractione & explicatione cordi accidit pro ratione obiectorum: Ita coniectandum est cerebrum quoq; moueri tum ab anima rectrice, tum suapte natura, vt animales functiones possit præstare. Incitari primum cerebrũ à spiritibus iam ex ignea natura in cœlestem conuersis, non est dubium, deinde mo-

ueri etiam à neruis sensus & motus vectoribus, qui sensibiles res apprehendunt, ostendit anatomica inspectio. Hæc agitatio mouet actiones interiorum sensuum, scilicet cogitationem, imaginationem, appetentiam, quæ actiones gubernantur à mente, quæ tanquam Princeps aulam suam habet in cerebro, diuinæ mentis imago condita, in quam Deus transfudit lucis suæ radios, videlicet, noticiam diuinitatis, principia numerorum, item, Theorica & Practica principia, discrimen honestorum & turpium, προαίρεσιν siue libertatem electionis.

Cùm itaq; sensus exteriores communicant res sensibiles interioribus sensibus, hi statim obiecta deferunt menti vel intellectui. Mens vero intus iudicans & discernens voluntati monstrat obiecta cognita, quæ voluntas vel auersatur, vel amplectitur. Cor vero, quod motu voluntario regitur, & appetitionum, affectuumq; sedes est, iuxta imaginationem & cogitationem mentis & inclinationem voluntatis assensionem, tanquam obsequium, præstat animæ rationali, vel sequens, quo rapit voluntas, à mente auertitur.

Hæ actiones à Galeno pinguntur hac parabola, Intellectum vel mentem comparat cum prudente æquitatore, cor imaginatur esse equum, voluntatem assimulat freno & habenis. Sed vt
ab

ab equo sternace sæpe vel rapitur transuersim, vel excutitur sessor, ita affectus & inclinatio voluntatis sæpe contumaciter feruntur aduersus potentiam intelligentem, ut dicitur: Video meliora, proboq́, deteriora sequor. Et simili sententia Euripides de ipsa Medea dixit: Cognosco quàm nefanda nunc patro mala, Sed ira consilio est potentior meo.

Hæ sunt secretæ actiones humanæ naturæ, ita à conditore mirabiliter instructæ atq; ordinatæ, quoniam voluit in homine lucere effigiem diuinitatis. Proinde & illud excellens & mirificum testimonium est diuinæ sapientiæ à Platone obseruatum magis, quàm explicatum, esse in facultatibus animæ quasi absolutam formam optime institutæ Reipub. congruentem cum similitudine harmoniæ Musicæ, in qua iucundam & perfectam consonantiam reddat inter vltimam, mediam, & summam vocem ea proportio, quæ infimæ collatione ad Diapason & Diapente efficitur, hodie octauam & quintam nominamus, quanquam aurium iudicio magis, quam artis, Cùm enim ad absolutum imperium hæc tria pertineant βουλὴ, id est, (consilium) ἐξουσία (potestas) τροφὴ (commeatus vel nutritio) Plato hæc considerans satis concinne ἡγεμονικὸν animæ in cerebro tanquam ducem, & Principem consiliorum, θυμικὸν in corde, vbi vires animi,

hoc est, affectus sedem habent, & ἐπιθυμητικὸν in epate & vicinis nutritionis organis collocauit, tanquam vulgus βάναυσον, quod operarum & cõmertiorum coniunctione, imperio victum & alimenta suppeditat: Ita vel in ipsa natura hominis adumbrata est pictura ostendens, vnde sint imperia & qualia esse debeant, quæ dignitatem suam retinere non possunt, nisi regantur consilio & doctrina, & sit inter ciues ac præsides ea communicatio operarum, quæ ad concordiam in omni commercio sit accommodata.

Præter hæc omnia, quæ de interioribus actionibus animæ consideranda adumbrauimus, nihil propè tam mirum est, quàm animos ita sequi temperamenta corporis, vt inde velut contagium ducant, & aliam naturam sæpe induant, quæ res Galeno erudite disputata, nulli autem hominum satis explicata est. Vix reperietur finis, si persequi ea velimus, quæ cum admiratione in homine considerari possunt. Referatur mens ab interioribus actionibus, ad organa & partes corporis & speciem externam, Nonne & fabricatio corporis humani, & dispositio, & in facie similitudo speciei & pulchritudo, oßium connexio, & vincula neruorum, incessus deniq; admirabilis, quem non afficiant stupore & amore erga conditorem, eum grauiter dissolutũ atq; impium esse oportebit? Omitto hæc omnia breuitatis causa, & tamen non

possum.

possum non commonefacere studiosos, ut hoc domicilium animæ, quod corpus dicitur, non minus, quàm ipsam ἐξοχὴν animæ prolixe considerare non grauentur, in quo habitare Deus animas hominum voluit ad tempus, ut etiam hac dignitate separarentur ab immundis spiritibus, quos tali fauore indignissimos vagari sine hospitio voluit, ut exules & proscriptos, & in omnem æternitatem ad horribilem cruciatum damnatos.

Etsi autem iusto dolore deploramus acerbissimum casum nostrum, quo factum est, ut hæc dignitas in homine miserè disturbata sit, non secus ac αὐτόματον quoddam horologium, quod corruptis organis reuocari nulla industria ad officium potest, tamen è regione gaudere vere & recte possumus & debemus, quod regenerati sumus & restituti ad spem certissimam perfectionis in vita æterna. Hæc restitutio & regeneratio quomodo fiat, nunquam non ob animos versari omnibus pijs debet, quod poterit plenius intelligi ex contraria ratione amissionis & deprauationis. Ab Apostolo Paulo Ephes. 4. pingitur corruptio integritatis, qua homo conditus est, deprauatione mentis, voluntatis, & cordis. Diserte enim & erudite monstrat in mente hominis caliginem, abalienationem in voluntate & obcæcationem in corde, & ex horum trium disturbatione dolenter ostendit horribile monstrum enasci, videlicet, omnis turpitudinis & sceleris

ris perpetrandi libidinem. Hæc si ita emendantur, vt pulsa caligine mens luce verbi diuini illustretur & reflectatur voluntas ad amorem veritatis, & purgetur cor ab immundicie affectuum sequentium prauas cogitationes, recte homo deprauatus & perditus in libertatem cœlestem renouatur, & sibi ipsi primum, mox etiam Deo quasi postliminio restituitur.

Tunc autem fit hæc renouatio, cum homo tota mente & pectore deplorans & acerbe dolens suam contaminationem, & immundiciem erigitur fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Filium, & vere, non simulate credit verbo efficaci ad salutem. Tunc enim accedens Spiritus sanctus, testis veritatis illustrat mentem, corrigit voluntatem, purgat cor, & hominem in vera agnitione Dei per Filium suum, & amore veritatis confirmat, vt inchoetur noua obedientia & harmonica consensio respiciat in voluntatem solius Dei, & fructus edat pœnitentiæ & fidei gratos Deo, & vtiles proximo. Hac renouatione fit, vt homo seipsum, qualis videlicet sit, & quem se esse oporteat, & quid Deo, & quid societati humanæ debeat, incipiat intelligere, atque ita, vt cum Paulo loquamur, posteaquam exuit veterem hominem, & nouum induit, recte Deum celebret, colat iusticiam inter homines, fruatur cum gratiarum actione beneficijs Dei.

In his tribus, cultu videlicet Dei, amore iusticiæ & disciplinæ, vsu rerum conditarum cum gratiarum actione, positus est finis hominis, cuius causa conditus, & in hoc domicilium vel diuersorium potius mundanæ conuersationis constitutus est. Est enim vita hominis, si placet breuissime comprehendere, ad hæc duo ordinata, sapientiam & scientiam, vt & beati Iobi dictum videtur ostendere, cap. 28. Ecce pietas est sapientia, abstinere verò à malis est sciẽtia. Vera igitur sapientia hominis est habere veram noticiam Dei in verbo eius traditam & celebrare Deum amore & timore. iuxta voluntatem ipsius: scientiæ appellatione intelligimus cognitionem rerum in natura coniunctam cum studio recte faciendi, non quidem rerum omnium, quoniam habent ex infectione Diaboli plurimum tum superuacuæ vanitatis, tum noxiæ curiositatis, sed earum potissimum, quarum noticia & vsurpatio inseruit gloriæ Dei & vtilitati hominum.

Quapropter quicquid boni, vel in artibus, vel in doctrina de moribus & virtutibus tenemus, quidquid item prudenter, fortiter, moderatè & iuste agimus in ciuilibus negocijs, ad eam pertinet scientiam siue disciplinam, quæ pietati erga Deum tanquam pedissequa adiuncta est, quæq; in fugiendis malis, bonisq; amplectendis

ver-

versatur. Vera porrò agnitio, verusq́ cultus Dei, in quibus omnis salus hominis posita est, pendet ab agnitione Christi, qui est filius Dei, & verbum patris, per quod Deus se patefecit humano generi. Ac quid sit Deus, cum de essentia loquimur, etsi plenè perspici in hac infirmitate mentium humanarum non potest, tamen vt cum Apostolo loquamur, intenti in patefactiones Dei vtcunq; per speculum & in ænigmate cernere possumus, fieri enim non potest, vt homo Deum, quantus est, intellectu comprehendat, qui ipsum intellectum suum, quo nititur eum comprehendere, capere non potest. Sicut enim in mente hominis nullam dimensionem, quantitatem, aut accidens cognoscimus, ita non possumus Deum per hæc ipsa scrutari, qui sine quantitate magnus est, sine qualitate bonus, sine situ præsens, sine loco totus vbiq;, sine habitu omnia continens, sine tempore sempiternus, sine vlla commutatione sui omnia mouens atq; commutans.

Proinde in hac scrutatione moderanda est cogitatio ad præscriptā regulam verbi diuini, vt enim omnia cogitemus, quæ dici de Deo possunt, tamen nihil aliud possumus in hac vita, quàm quærere Deum, semper lustrantes vestigia ipsius, donec per Christum in cœlestem patriam reducti illum de facie ad faciem cernemus. ME-

DIVM

DIVUM autem, per quod quærentes Deum, in verbo apprehendere conamur, fides est. quæ inchoat cognitionem in hac vita, vt de eo, quid sit Deus, non impie solliciti, de eo, quid velit à nobis in agnitione filij, ardenti studio quæramus, per quem solum agnosci vult, & celebrari. Quid ergo sit Deus in sua essentia, fide apprehēdi oportet, ex descriptionibus, quæ extant in verbo ipsius. Apprehenso vero quantumuis languidè, firmiter tamen adhærendum est amore per fidem exuscitato in credentibus. Ita fiet progreßio cognitionis & tutior & plenior, in qua sentiat animus consolationem & metam, in qua acquiescat in hac vita, spem perfectionis expectans in vita æterna, vbi Deum videbimus à facie ad faciē. De vsu huius rationis quærendi Deum per fidem concionatur dictum, Quærite Deum, & viuet anima vestra. Item, Quærite Dominum, & fortitudinem eius, & faciem eius quærite semper, Psalmus 105.

Hæc dixi, vt monerem, reuerenter cogitandum esse de eo, quod est Deus, in sua essentia, ne aut opinione deceptus animus inquirentis à vero oscitanter aberret, aut falsa intelligentiæ persuasione tumens alios etiam in errores temere atq; scelerate inuoluat. Monstrant autem patefactiones diuinæ, quid sit Deus, & quid intelligi à

nobis

bis haberiq; velit, vnde hanc descriptionem Dei accepimus, quam verè & indubitanter amplectimur: Credimus Deum esse spiritualem essentiam, æternam, omnipotentem, vere ac summe bonã, purã, iustam, veracem, sapientem, Deum patrem, Deum Filium, et Deũ Spiritum sanctũ, vnitatem æqualis essentiæ, & tres personas relatione, id est, incommunicabilium proprietatum consideratione distinctas, PATREM, quia genuit verbum, quod est subsistens imago & sapientia æterni patris. FILIVM, quoniam de substantia Patris ab æterno natus est, & est integra ac substantialis æterni Patris imago & personalis sapientia, SPIRITVM SANCTVM, quoniam de vtroq; procedit, vt agitator seu motor substantialis, ad sanctificandum ac viuificandũ corda. Hunc Deũ nouimus ac scimus se patefecisse ab initio mũdi Ecclesiæ promißione & missione Filij & donatione Spiritus sancti. Ita credimus vnũ Deum, & tres personas, non substantia, (sunt .n. ὁμοούσιοι) sed relatione, qua proprietates notantur incommunicabiles, realiter inter se distinctas, Et quidem sic vt etiam beneficia propria cuiusq; personæ intelligi, & distincte agnosci poßint. Pater enim est fons diuinitatis, & autor omnium beneficiorũ, quæ lingua nuncupari possunt. Filius est mediator inter Deum, & homines, qui factus est pro nobis victima,

post-

postquam naturam humanam assumpsit. Spiritus sanctus est persona, quæ mittitur in corda credentium, vt nouam obedientiam & vitam accendat, confirmator videlicet, opitulator, sanctificator, ac gratiæ & precum Spiritus, vt Zacharias inquit.

Hæc est simplicissima & verissima descriptio Dei in quæstione, in qua de essentia Dei quæritur, cui addenda sunt exempla, quæ proprias personarum actiones demonstrant. Ita clarius intelligitur Trinitas eiusdem substantiæ καὶ ὁμοούσιος in inseparabili æqualitate triũ personarum realiter distinctarum. In omni enim re, operatur Deus ad extra, inseparabiliter ipsa Trinitas operatur, quæ est ipse & vnus Deus, & tamen personis quædam propria sunt, quæ singulis non competunt, vt in patefactione ad Iordanem de cœlo vox Patris sonat, Matth. 3. quæ Filij non est, licet hic sit ὁ λόγος Patris. Pater enim inquit: Hic est Filius meus dilectus &c. Sic non Pater, non Filius, sed tantum Spiritus sanctus descendit specie columbæ. Hæc discrimina cum explicentur vobis hoc tempore in locis communibus Theologicis, à me hoc loco repeti verbose non oportet, sicut nec illud etiam, Quomodo nascatur Filius ab æterno, & procedat Spiritus sanctus, quod mysterium à Præceptoribus suauibus picturis & collationibus ad-

umbratum alibi reuerenter considerari poterit.

Solet hic Articulus duplici modo oppugnari à fanaticis hominibus, qui vel eleuare & prophanare student eius mysterium, quod scriptum sit, patribus Deum visum fuisse, & quidem facie ad faciem, vel adeo inuoluere conãtur, vt de eo inquirendum esse negent, cum scriptum sit, Deum nemo vidit vnquam, Iohan. 1. Et apud Paulum: Quem nemo hominum vnquã vidit. Sed SOLVTIO facilis occurrit distinguenti modos videndi Deum, de quibus scriptura loquitur, Aliud enim est conspectus Dei ex apparitione ipsius, aliud est contemplatio Dei ex agnitione per fidem. Apparuit Deus patribus specie, qua voluit, suæ omnipotentiæ è medio formarum visibilium subiecta, quando voluit, sicut Augustinus inquit: Apparet, quibus voluerit, in qua voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis, incommutabilisq́; natura, quæ in hac vita nemini cernitur, sed in alia vita, & quidem beata illa & sempiterna verè & integrè perspicietur. Sic visus est Adamo, Abrahamo, Moisi per subiectam sibi commutabilem & visibilem naturam, ipse manens in se ipso, hoc est, in substantia sua, qua est incommutabilis.

Audit vocem Dei Adam deambulantis in Paradiso, & metuens sibi ob transgreßionem & cul-

culpam abscondit se à facie ipsius. Deinde interrogatus respondens colloquitur cum Deo. Hic satis declarant circumstantiæ Deum humana specie visum, & collocutum esse Adamo, licet in arcana quasi sede Trinitatis & naturæ diuinæ manserit incommutabilis.

ABRAHAMO apparet trium virorum simulachrum ad quercum Mambre, quæ & ipsa Trinitatis imago est, non quidem repræsentata, sed adumbrata per speciem formæ subiectæ sensui oculorum. Et obseruandum hic est mysterium Trinitatis coessentialis, id est, trium personarum in vna eademq́; essentia ab æterno subsistentium, quod significatur in Abrahamo, dum tres cernens vnicum duntaxat adorat, & cum vnico colloquitur.

Cum MOSE loquitur ex columna nubis consistente ad ostium tabernaculi, & significat Textus Deum præsentem collocutum fuisse cum præsente Moise, sicut amicus cum amico colloquitur. Sed quoniam Moses corporalem quidem nubem cernens, orat, vt Deus semetipsum videnti ostendat, declaratur non substantiam Dei, sed subiectam speciem Moisi esse visam. Et hoc est videre Deū, cum se ostendit specie corporali, vel signis corporaliter expressis, cūq́; non substantia eius apparet, sed simulachrū formæ visibilis, quod diuinæ omnipotētiæ subiectū adesse Deū declarat,

qui nec oculis circumscribi, nec tactu compraehendi potest. Apparere enim id dicitur, quod non potest, vel non debet videri, quale sit. Ideo recte dicitur: Deum nemo vidit unquam. Quia eam, quae est in Deo, plenitudinem diuinitatis nemo hominum aut oculis perspicit, aut mente comprehendere potest, absq; enarratione verbi per Spiritum sanctum efficacis in pectoribus. Species enim videtur oculis, virtus autem & vera vis & potentia enarratur verbo, ex quo est agnitio Dei, vt mox dicemus.

VOLVNTAS DEI QVID SIT?

Cum mens acquiescit in quaestione, Quid sit Deus, vt teneat descriptionem iuxta patefactiones in verbo traditas, qua Deus vnus in tribus personis intelligitur, proximum est, imò ad salutem hominis praecipuum etiam, voluntatem eius agnoscere, qua declarata per verbum patefecit se generi humano. Est autem voluntas Dei immutabile decretum ipsius ex arcano consilio Trinitatis, quo statuit etiam ante mundi primordia pro paterna sua στοργῇ & commiseratione erga genus humanum destruere Diabolum & mortem, remittere peccata & reddere vitam aeternam per filium suum mediatorem Dei & hominum omnibus, qui credunt in nomen ipsius. Hanc

vo-

voluntatem verbo sonante expressam declarauit ab initio Ecclesiæ primis parentibus generis humani post lapsum, Deinde successu temporis ipsis etiam patribus Ecclesiæ, ac deinceps per Prophetas docendo illustrauit, vt omnibus temporibus electæ Ecclesiæ in conspectu esset vera consolatio, quæ fidem accenderet & obiectum monstraret reconciliationis & misericordiæ in filio Dei.

Semper enim sonuit in posteris Adæ explicatio huius concionis, qua significatum erat, Semen mulieris contriturum esse caput serpenti, quod cum impoßibile esset humanis viribus, facile cogitando assecuti sunt pij, vt statuerent diuinæ esse omnipotentiæ destruere Diabolum, delere peccata & mortem, mitigare iustißimam iram Dei, liberare & asserere genus humanum à pœnis, quas meritum erat. Et dubitandum non est, Sem, Noham & alios ex hoc dicto adiuuante scrutationem Spiritu sancto digitum quasi intendisse ad ipsum Meßiã, spe & fide apprehensum, licet nomine nondum expressum, postea hæc doctrina illustrata est magis perspicuis promißionibus, quæ factæ sunt Abrahamo, Moisi, Dauidi, Gene. 22. Exod. 33. 2. Reg. 7. Et ampliata est cum oraculis, tum interpretationibus Prophetarum, donec completum fuit tempus, quo filius Dei missus à Patre humanam naturam in-

duit, ac voluntatem Patris ipse enarrare cœpit, vt inquit Iohan. 6. Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Porrò sicut dulcissimo spectaculo, & manifestissimo testimonio declarauit Deus, quis sit, cùm à Iohanne baptizaretur Christus in Iordane: Ita, eodem tempore etiam suam voluntatem voce cœlitus missa patefecit, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite. Hæc historia ante oculos & ob animos piorum semper versari debet, quasi tabula exprimens ideam, tum eius quod est Deus, tum eius quod fieri erga se ab hominib. vult.

His consideratis propius accedimus ad intelligendum id, quod proposuimus, nimirum vnde sit, & cuiusmodi sit vera Dei agnitio & celebratio, quæ duo ab eo demum rectè præstabuntur, qui & didicit, quid sit Deus, quantum hoc discere permittit verbum ipsius, & ex ipsa verbi sonantis doctrina percepit, non modo, quomodo erga nos affectus sit Deus, sed etiam quid à nobis fieri velit. Ac de voluntate ipsius, vt est hæc certissima noticia, quæ agnoscit filium Dei constitutum esse Mediatorem mirabili & inenarrabili consilio, vt sit propitiatio pro peccatis nostris, sic certissimum est & hoc, per solum filium esse veram agnitionem Dei.

Nam

Nam qui aliter celebrat aut inuocat Deum quàm per filium, is Deum ignorat, & horrenda dubitatione perculsus, cum nesciat ad quem vere preces dirigat, facile in desperationem incidit, quæ deinde parit fastidium & contemptum Dei, quod vsu venit Ethnicis, Iudæis, Turcis, qui dum nec de essentia Dei certi sunt, eò quòd personas non norunt distinguere, nec voluntatem Dei intelligunt, quia filium non agnoscunt, cum perpetuis tenebris perniciosarum opinionum conflictãtur, & à notitia Dei tam procul absunt, quàm diues ille à sinu Abrahæ, qui de immensis anfractibus longißimi interstitij acerbè conqueritur. Sit igitur nobis hoc fixum atq; immobile, veram Dei agnitionem per solum esse filium ipsius, qui vera est ianua ad vitam æternam, vel vt ipse inquit Iohan. 14. via, veritas & vita. Vita autem æterna nihil est aliud, quàm perfecta Dei agnitio, in qua fruemur Dei consuetudine in omni sapientia & perpetua læticia vitæ sempiternæ.

Iam vt medium hoc intelligamus, per quod Deus agnosci vult & celebrari ab hominibus, duo in Christo cognoscenda & consideranda sunt, persona videlicet ipsius, & officium. Ad personam Christi pertinẽt, quod & natura Deus est, id est, Filius genitus ab æterno patre, &

homo certo tempore natus ex virgine matre, quodq́ in hoc ipso Mediatore non sunt duæ personæ, neq; duo Filij, sed vna tantum persona vnitis duabus naturis mirabili, inscrutabiliq; vinculo & fœdere, quo copulare sibi humanam naturã Filius æterni patris voluit. OFFICII esse dicimus, quod est mediator inter Deum & homines, Saluator, redemptorq́; generis humani morte sua abolens peccata, resurrectione reddens vitam æternam credentibus in nomen ipsius, quodq́; sedens ad dextram æterni patris, Rex & Sacerdos intercedit pro genere humano, destruens opera Diaboli & instaurans atq; amplians regnum cœleste. Porrò & hic mediator nullo alio medio agnoscitur, quàm fide exuscitata in animis pœnitentiam agentium, quemadmodum Spiritus sanctus ex ore Apostoli, Acto. 10. affirmat, Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remißionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

DE MODO AGNOSCENDI DEUM.

Sed in doctrina de Deo, cum medium agnitionis depræhendit, statim quærit mens etiam de modo, cum tanta sit indignitas in homine, vt vix statuere poßit vllo modo, Deum ab hac natura polluta recte cognosci posse. Poterit igitur modus atq;

atq; ratio aliqua via ostendi, certe conducit ad pietatem plurimum, sæpe multumq; cogitare de via inquirendi Deum per filium. Placeat autem nobis hic vetus illud, γνῶθι σεαυτὸν, quoniam sicut in alijs rebus, quæ docendo traduntur, comparatum est, vt ex collatione res elucescant plenius: Ita ad agnitionem Dei rectius peruenitur ab eo, qui se ipsum inuestigat, donec videre incipiat, qualem esse oporteat imaginem Dei in homine. Homo incipiet seipsum agnoscere ex lege, quæ est speculum humanæ naturæ, mox agnitis defectu, morbis inhærentibus & delictorum mole, dum acerbe affligitur ob immundiciem & deprauationem suam, iram Dei expauescens, & iusto odio auertens se à peccato, explosa omni dubitatione de Deo, exuscitet se atq; erigat fiducia in mediatorem apud Deum, filium Dei, & fide apprehendat reconciliationem cum Deo per mortem ipsius, & iustificationem in sanguine ipsius.

Ad hunc motum mentis & cordis accedat inuocatio, petens à Deo in vera agnitione ipsius vigorem & robur fiduciæ, quorum vtrumq; cum auditus verbi & diligens scrutatio excitat, tum exercitium pœnitentiæ & confeßionis animat, corroborat atq; confirmat. Occurrit enim gratia volentibus, & Deus prope est omnibus eũ in vera agnitione inuocantibus. Imò occurrit Chri-

Christus piè meditantibus, & mittit spiritum petentibus. Quoniam verò phantasia in homine, quæ intercedit inter motus & mentis actiones velut histrionicam agens, vtriq; vagas & absurdas imaginationes atq; obiecta semper obtrudit, erigenda in sublime, atq; attollenda mens est, luce verbi diuini accensa, ac separanda est procul à rerum turpium conspectu iuxta Nazianzeni versiculum;

θύμε βλέψον ἄνω, χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων

Quemadmodum enim coluber non conspicuis gradibus, sed minutissimis nixibus volutando irrepit, Ita lubrico motu alia atq; alia cogitatio ad obiectum phantasiæ negligentes animos occupat paulatim, donec pias meditationes tenebris inuoluens hominem planè ad similitudinem pecoris conuertat.

Regantur igitur in mente hominis radij intelligentiæ & iudicij iuxta lucem verbi diuini, vt mens tanquam regina in arce sua posita, nihil opinionum, aut cogitationum admittat, quod cum autoritate & veritate verbi pugnare videatur. Deinde contineatur voluntas, ne aliter inclinet se, quàm mens de Deo certa permittat. Cum enim voluntas in subiecto à mente non differat, sed sit quasi manus mentis, poterit profectò à synteresi & conscientia refrenari & contineri, ne velit, quod Deus nolit, quam gubernationē neces-

necesse est quoq; cor ipsum sequi, quod imperio voluntatis subiectum est. Peculiarem autem vim habet conseruandæ in animis pietatis ea virtus, quæ Castitas dicitur, & Deo gratum templum in mente hominis adornat. Cùm enim Deus sit fons castitatis, profectò celebrari non vult aut inuocari ab impuris & contaminatis mentibus, ut versiculus monet castissimè expressus:

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari.

Adsuescant igitur adolescentum animi ad puras cogitationes, & abhorreant ab imaginationibus obscœnis. Hoc unum est in omni vita decus maximum, cum quo semper coniuncta esse gaudet tum Spiritus sancti gratia, tum custodia angelorum. Optarim autem omnibus adolescentibus frequens in ore esse & recordatione suauissimos versus Naumachij Græci Poetæ, qui hoc decus eleganter describunt.

καλὸν μὲν δέμας ἄγνον ἔχειν, ἀδμητάτε μίμνειν
παρθενικὴν, καθαροῖσι τ' ἀεὶ μελεδήμασι χαίρειν. Hoc est,

Ingens bonum est mentem habere castam & manere inuiolatam virginem, & gaudere pijs & puris cogitationibus. Quorum versuum sententiã hi versus exprimunt, Haud aliquid vitã melius commẽdat & ornat Virgineã casto quàm ferre in pectore mentem, Et gaudere animi sensu

meditan-

tantis honestum.) Habet & hoc in se boni mens sobria & casta, & ab illusionibus sensuum libera, ut amorem iusticiæ & veritatis, quæ omnium actionum amusses sunt apud Deum & homines, integre conseruent. Neq; enim in Iosepho hæ virtutes eminerent, nisi in ipso animus integer vitæ, scelerisq; purus & turpia imaginandi occasionem vitaret, & in cogitatione rerum honestarum ita discerneret plæraq;, vt ad normam iusticiæ veritatisq; facienda, & non facienda, tanquam aurum & æs ad Lydium lapidem, exploranda, comprobandaq; adhiberet. Ita castitas atq; integritas mentis fax est ardens, quæ accendit maximas virtutues in homine, ipsumq; illuminans typum Dei efficit; cum è regione Diaboli typus sit omnis impurus & dissolutus animus.

Sed obijciat quispiam, non esse virium humanarum, ita frenari animi impetus, vt hoc modo, quem diximus, apprehendere Deum, & huic sese subijcere possint, cum experientia testetur, complures conscientia infirmitatis conturbatos, in dubitationem, & sæpe etiam in desperationem incidisse? RESPONDEO, Etsi magna sunt impedimenta bonorum operum in tanta naturæ nostræ deprauatione tantisq; insidijs diaboli, & verum est totum opus conuersionis esse solius Dei beneficium: tamen hunc ordinem sanxit

xit Deus, vt per verbum trahente ac mouente voluntatem Spiritu sancto, voluntas non repugnet, sed velit sese applicare ad voluntatem Dei seu comes sit Spiritus sancti ducentis eam. Nam cum diuersum sibi proponit prorsusq́; Deo trahenti repugnat, prudens sciensq́; in discrimen salutis incurrit, ac sese conijcit volũtas nostra. Quæ si cõuerteretur vel prorsus ociosa, vel indulgens furenter naturali infirmitati ac diffidentiæ nulla esset lucta, nec opus esset verbo seu apprehẽsione Euangelij, cuius voce bonitas patris cœlestis vniuersaliter inuitat omnes, ac excludit neminem eorum, qui assentiri voluntati ipsius non recusant, monstrat etiam auxilium Spiritus sancti opitulantis infirmitati nostræ, Quare nec difficile est homini, sic animi impetus frenare, & apprehendere, vt diximus, Deum, eo scilicet modo, quem præscribit Dei verbum, modo voluerit, nec excusari vllus mortalium potest, quod Deum vere non agnoscat, quod facere potuisset, si voluisset.

Verum de agnitione Dei hæc commonuisse nos sufficiat, ex quibus qualis esse debeat celebratio, non obscure intelligi poterit. Nam id demum rectißime celebrare ac prosequi honore & laudibus potest quisque, quod vere habet notum & cognitũ. Versatur autem celebratio Dei in prædicatione beneficiorum eius, quorum cum sit se-

ries

ries infinita & multitudo immensa, ad fontem gratiæ diuinæ, qua nos damnatos & perditos gratuita misericordia recepit, vt ad beneficium summum reliqua omnia sunt referenda. Quod enim viuimus, viuimus Deo, propter agnitionem ipsius conseruamur in hac vita, & fruimur omnibus in natura, beneficijs.

Proinde duo sunt celebrationis membra, confeßio & gratiarum actio, & illa quidem, qualis esse debeat, dictum S. Pauli ostendit, Corde creditur ad iusticiam, ore fit confeßio ad salutem. Requirit enim confeßio & nouam obedientiam & celebrationem ac profeßionem tanti beneficij, ac propagationem veræ doctrinæ in omni vitæ cursu constantem & immotam ac congruentem cum patefactione & voluntate Dei, vt etiam Christus Matth. 5. mandat, Luceat lux vestra coram hominibus, hoc est, fides vestra sit manifesta, & in propatulo fructus suos atq; vires exerat erga Deum & hominem absq; metu vllo libera & inuicta. Vocat autem lucem sumpta similitudine à se ipso. Nam extra Christum omnia sunt tenebræ, neq; lucet fides, neq; fructus fidei efficaces sunt, nisi per Christum, vt Psalmus quoq; testatur, Lucerna pedibus meis verbum tuum.

AD GRATIARUM ACTIONEM pertinet, vt homo intelligat, quomodo fruendum

sit omnibus bonis in natura cum celebratione nominis & gloriæ Dei. Hoc verò ostendunt Psalmi, qui iubent confiteri Domino. Nam confiteri significat non modò beneficium palàm acceptum ferre Deo largitori, sed etiam gratias ei agere, ac nomen eius merita laude extollere. Hoc idem benedicere vocant Psalmi. Nam hæc duo verba, εὐλογέω & ἐξομολογέομαι, quorum alterum benedico, alterum confiteor significat, cõplectuntur omnes modos agendi Deo gratias pro omnis generis beneficijs. Fit igitur gratiarum actio cùm propter beneficium celebratur nomen Dei, quod pater sit misericors & indulgens, & in Filio & propter Filium omnia nobis donet cumulate, cumq́; fatemur nos in nobis nihil habere, sed omnia à Deo accipere, & petimus, vt res sint salutares per ipsum, & vt suam beneficentiam voluntatemq́; erga nos conseruet.

Ita pertinent ad gratiarũ actionem hæc: Consideratio dantis & accipientis, applicatio ad verum vsum, fides & inuocatio in prædicatione beneficij. Primo excipiamus omnia beneficia Dei cum contestatione & prædicatione nominis diuini, quod à Patre proficiscantur erga liberos indignos plane, sed tamen eos, quos sibi in Filio suo delegit atque adoptauit. Deinde cum prædicatione virtutum, quæ sunt in Deo, affectio-

nis

nis, videlicet paternæ, immensæ bonitatis, veritatis, iusticiæ. Agnoscamus indignitatem nostram, Sed non cum desperatione, imò læticia accendamur ob hoc ipsum, quod Deus non abijciat nos, velut καθάρματα, sed recipiat & conseruet suum plasma, quod autor atq; opifex odisse non potuit, vt Psalmus inquit 103.

Nos opus certe manuum suarum
Respicit, nostræ memor & ruinæ
Sponte conseruat, quod amicus autor
perdere nescit.

Sicut autem Platonem memorant triplici nomine potissimum egisse Deo gratias, quod esset homo natus, non bestia, quod Græcus & non barbarus, quod Socratis tempore esset natus, qui de virtute integerrime doceret: Ita nos in omni recordatione beneficentiæ diuinæ grata memoria Deum celebremus, quod nos imaginem ipsius à Diabolo contaminatam non abiecerit inter vasa iræ, nec in tenebris reliquerit fanaticarum opinionum & horribilium errorum, cum quibus conflictata sunt superiora tempora, Sed quod hoc ipso tempore ijs in locis nasci nos atq; conuersari voluerit, vbi vera atq; inuiolata vox Euangelij sonat, tot regnis & prouincijs per orbem terrarum hac luce verbi diuini carentibus & miserrime caligantibus. Omnis porro gratiarum actio roborari debet fide & inuocatione in agnitione eius

bene-

beneficij, quod per Christum accepimus. Intuenda est tota creatio, vt res in natura omnes cogitatione summatim complectamur, Sic tamen vt beneficium redemptionis per Christum velut preciosissimam gemmam ex auro lucentem, & primo loco præcipue agnoscamus, & huius nomine atq; causa reliqua omnia in nos proficisci intelligamus. Inculcant hoc vbiq; Psalmi, qui celebrant munificentiam Dei in creatione rerum & patefactione ipsius.

Sed exemplum lucidissimum proponit Psalmus 103. qui à summo beneficio per gradus descendit ad reliqua vitæ necessaria, & ita prædicat simul omnia, vt vbiq; interluceat celebratio eius beneficij, quo Deo reconciliati & in gloriam vitæ sempiternæ recepti sumus. Atq; hoc est verè gratias agere, cùm in admiratione & celebratione Dei ex contemplatione creationis, patefactionis, prouidentiæ, beneficia grato animo excipimus, & fide in Christum fixa agnoscimus beneficentiam, & inuocatione voluntatis erga nos conseruationem petimus, sicut suo exemplo Christus ipse declarat, qui sumens panem prius benedicit & laudat, deinde agit gratias.

Qui sic animi gratitudinem exercent, vt respondeat beneficentiæ diuinæ ad hunc modum, quem dixi, ij minimè egebunt bonis in hac vita necessarijs. Imò sorte sua contenti magis affluent

veris bonis, quàm qui montibus effoßis aut domitis populis ac prouincijs ingentes cumulos diuitiarum vi ac dolo compararunt, cuiusmodi gratiarum actionem, quæ agnoscit non casu offerri bona & commoda huius vitæ, sed à prouidentia Dei, cui curæ sunt res humanæ, proficisci intelligit, & debitam animi gratitudinem cum inuocatione Deo præstat, magnificè prædicat Salomon ac ornat promißione veræ fœlicitatis, cùm inquit, Anima, quæ benedicit, impugnabitur (hoc est, omni fœlicitate affluet) Et cap. 10. Benedictio Domini super caput iusti, hæc diuites facit, & arcet tristiciam à cordibus.

II. DE VSV BENEFICIORVM.

Sed de vsu acceptorum beneficiorum deinceps dicendum est. Nemo tàm vecors est aut stupidus, vt non sentiat se naturali obligatione non modo gratiam debere benemeritis, sed etiam accepta beneficia ita collocare, ne abusus afferat contumeliam largitori. Sit igitur vsus ad gloriam Dei & iusticiam inter homines comparatus, à fœnore & vsura, ab auaritia, luxu, libidine, prodigalitate procul alienus. Sit regula moderationis in nobis, iustitiæ verò in communicatione, quæ debetur alijs. Excipiamus reuerenter, quicquid prouidentia diuina nobis offertur, memores

nos

nos esse verè coruos, de quibus Psalmus dicit, destitutos omni auxilio, nisi Deus foueat & alat, & sustentet nos, ipsius opem & beneficia implorantes. Deinde vtamur moderatè bonis oblatis siue animi, siue corporis sint, siue fortunæ. Moderatio enim cohercet vagos animi impetus, qui hominem extra metam officij turpiter abripiunt, & resistit Diaboli insidijs, hominem varijs technis de gradu suo præcipitare conantis.

Hæc regula in Ethicis præceptis traditur, cùm describuntur virtutum officia, temperantiæ, continentiæ, frugalitatis, veritatis, iusticiæ, liberalitatis, hospitalitatis. Quemadmodum autem decet nos gratitudo erga Deum, sic etiam planè nostri est officij, imitari eius beneficentiam, & bene mereri de alijs etiam, qui nobiscum in hac societate humana coniuncti sunt. Debetur enim his publicè ac priuatim officij ac beneficentiæ nostræ communicatio.

Etsi autem hæc virtus vocabulo Dilectionis continetur, & in Ecclesia singularem professionem obtinet, tamen eam partem doctrinæ hic non intelligimus, quam Ecclesia profitetur, quæq; latißimè patet, sed de ciuili inter homines beneficentia loquimur, quæ est pars quædam iusticiæ particularis. Huius vsum exprimit Iurisconsultorum dictum: Interest hominis, hominem ab homine beneficio affici, quod cum Stoicorum

ſententia conuenit, Homines hominum cauſa eſſe natos. Et tamen hæc benignitas benefaciendi alijs tunc veram laudem obtinebit, & Deo etiam probabitur, cùm ſic accommodata fuerit, vt procedat ex amore pietatis erga Deum, ac habeat bonam conſcientiam & metam, ad quam in bene merendo reſpiciat, iuſticiam. Eorum enim omnium, quæ facimus, hoc caput eſſe debet, vt ad gloriam Dei iuxta regulam pietatis ac iuſticiæ referantur.

Quæ igitur officia in publicum præſtanda ſint benignè & abſq; expectatione præmij à ſingulis, à quibus præſtari quippiam boni poteſt, ea tum pietatis, tum humanitatis appellatione ſuo loco cohoneſtata ſunt à ſapientibus, quod hoc genus officiorum vnumquemq; non in libris præſcripta, ſed ſecum nata, atq; menti ſuæ impreſſa lex doceat atq; inſtituat. Στοργὴν *fortaßis aut* χρηστότητα, *ſi non rectius, magis tamen ſignificanter appellaueris, ad differentiam cultus diuini, qui pietatis vocabulo appellatur. Nam & Menandri verſiculus hanc beneficentiam ſic expreſsit:* χρηστὸς ἀνὴρ πολλάκις σωτήριος. *Hæc igitur ſiue pietas, ſiue benignitas nominanda eſt, quibus publicè & priuatim debeat, peruulgatum ac tritum illud Platonis oſtendit, non nobis eſſe natos nos, ſed ortus noſtros partim patriam, partim parentes, tum cognatos, tum vero etiam amicos vendicare.*

Primo igitur loco debentur officia publica ipsi patriæ, cuius amore tenemur omnes naturæ instinctu moti, quicunq; non sunt ἄστοργοι. Estq; honestissimè dictum, patriam amandam atq; colendam esse secundum Deum, ex quo hæc vox nata est: Sua cuiq; patria Deus. Complectitur enim appellatio hæc omnia, Ecclesiam, Rempub. leges, iudicia, contractus, fœdera, pacta, pacem, tum eos, quorum causa societas humana instituta est, parentes, coniuges, liberos, cognatos, amicos, ciues, hospites. Hæc dulci quodam vinculo connexa intelligi debent appellatione patriæ, sicut comprehensa sunt in iuramento ciuium Atticorum: PVGNABO PRO PATRIA, PRO ARIS ATQVE FOCIS. His enim posterioribus vocabulis membra patriæ significantur.

Porrò vt quisq;, quantum debeat patriæ, agnoscat, discernendi sunt gradus ordinum & officiorum in Repub. Summo loco est Princeps, à quo dependent cæteri ordines, sicut series annulorum ferreorum attracta à Magnete, ab eodem inseparabiliter connexa arcano vinculo dependet. Cùm enim & maxima felicitas Reipub. sit bonus & salutaris Princeps, fit vt communis ciuium obedientia congruens ad exemplum propositum in Principe, omnes Imperij ordines quadam cognatione virtutis vndequaq; copulet atq; coniungat.

Quam rem harmoniæ Musicæ eruditè Plato comparat. Sed quoniam & iucunda & illustris est imago magnetis & annulorum, placet eam hoc loco ostendere ex Augustini verbis, qui lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 4. naturam magnetis hoc experimento à se obseruato describit.

Magnetem lapidem, inquit, nouimus mirabilem esse ferri raptorem, quod cùm primùm vidi, vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atq; suspensum, deinde cùm ferro, quod rapuerat, tanquam vim dedisset suam, communemq; fecisset, idem quoq; annulus admotus est alteri, eumq; suspendit. Atq; vt ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat, accessit illi eodem et tertius, accessit & quartus. Iamq; sibi per mutua connexis circulis, non implicatorum intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium quasi catena pependerat annulorũ. Dura opera à natura magnetis mutuatus sum exemplum relationis inter Principem & ciues. Prodest enim ad acuendam diligentiam in omni officij ac disciplinæ genere tales ideas intueri, quæ copulationem obedientiæ & imperij animis ostendant. Ac vtinam, veluti in magnete quoddam latens est principium, quod res vel easdem specie vel similes attrahit arcano spiritu: Ita in Principibus esset verus amor virtutis

& religionis. Sic proculdubio futurum erat, vt exemplo Principum etiam reliqua multitudo ad omne genus officij publicè & priuatim inuitaretur, quoniam principia virtutis & religionis cum singulis hominibus nascuntur, quæ exemplis imperantium prælucentibus accendenda & propaganda erant. Iudico enim in hoc Sermone de officijs patriæ debitis primùm ipsum complexum totius, qui gubernatorem & ciues comprehendit, monstrandum esse. Ita fieri arbitror, vt priuata officia erga parentes, erga amicos & reliquos, tanquam partes in toto etiam rectius agnoscantur.

Monstrato igitur primo & summo gradu in Principe vel supremo gubernatore, reliqui gradus vsq; ad extremum ordinem constituendi sunt Geometrica proportione, vt studia singulorum in vniuersum respondeant cum primo. Alij enim consilio, alij viribus, alij industria inseruiunt patriæ, quorum vt diuersa sunt studia, ita vnus atq; idem esse debet finis. Hîc sua cuiq; statio præclarè sit cognita, sintq; ita animo affecti singuli, vt in commune plurimum prodesse cupiant etiam non redditis præmijs. Sic Magistratus, Doctores, ciues suum quisq; locum rectè sciat & intelligat, & operam suam prompto animo in medium con-

ferat, etiam sine spe commodi & præmiorum, non modò cùm necessarium officium requiritur, sed etiam cùm non admonitus per te intelligis, quid commodare patriæ, hoc est, Ecclesiæ, Reipub. & familiæ tua opera poßis. Hæc χρηστότης cùm accedit ad στοργὴν, ac minimè ociosa sua sponte exercet humanitatis officia, nec refugit molestias ac labores, fieri non potest, quin & iucundè floreat, & optimè habeat status Reipub. iuxta grauißimum dictum Menandri: ὁ χρηστὸς ἀνὴρ πολλάκις σωτήριος.

Sicut è regione, vbi priuata commoda bono publico præferuntur, vt si Consul nolit officium facere absq; præmio, ciuis nolit gratificari ciui absq; mercede, necesse est vel optimè constituta Imperia in peius ruere, & retrò sublapsa referri. Proinde vt ad hunc promptitudinis & facilitatis mutuæ inter homines quasi chorum obligatos nos esse intelligamus, pro se quisq; suum locum verè agnoscat, ita & officium suum intelliget, & plurimis, vbi poterit, prodesse studebit, vbi non poterit, libenter debebit. Nam & quiddam beneficij præstat facilè, qui ostendit se libenter debere. Ad hoc beneficentiæ studium exuscitent se bonæ mentes, cùm honestis sententijs, quales in autoribus vbiq; occurrunt crebræ, tùm exemplis bonorum virorum, quæ in historijs proponuntur. Honestißi-

nestißima est sententia Euripidis, & memoria imitationeq; dignißima.

Si quisq; quantum ex se valeret commodi
Id publicæ communicaret patriæ,
Minus malorum sustinens Respublica
In posterum semper beatior.

Dulcißimo autem schemate pinxit tùm doctrinæ huius, tùm exemplorum imaginem sapiens antiquitas eo simulacro, quo Gratiarum siue Charitum chorus exprimitur, quæ quoniam & tres numero, & sorores consertis manibus implicatæ, & iuuenculæ & virgines, & ridentes pinguntur, admonet ipsa suauitas imaginis, qualis debeat esse hæc mutua erga homines benignitas & beneficentia, & quidem omnem rationem dandi accipiendiq; & accommodandi beneficij nulla cogitatio poterat exprimere vel doctius vel iucundius. Sed hæc de amore & officijs erga patriam sufficiant.

AD SECUNDAM speciem Beneficentiæ, quæ inter homines debet esse mutua referri possunt largitas & hospitalitas. Primùm, cùm abundè in nos effundat suam munificentiam diuina bonitas, veluti paterfamilias vtraq; manu spargens ac distribuens omnis generis bona, vt Psalmus 103. depingit: Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Intueamur

quotidie præclaram illam Hypotyposin Dei, omnia bona largientis immerentissimis mortalibus, & largiamur alijs, qui egent, de ijs acceptis beneficijs & donis, quæ in nos diuinitus redundant. Agnoscamus esse speciem Philostorgiæ, & naturali quodam iure à nobis expectari hanc benignitatem, quæ subleuat tenuiores, imò flagitari etiam à Deo, vt honoris erga ipsum testimonium, quo & placidè delectatur, & quodam modo etiam frui gaudet, vt testantur hæc dicta: Honora Deum de substantia tua. Item: Hilarem datorem diligit Dominus. Item: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus. Et Filius Dei testatur sibi fieri, quicquid in egenos & pios beneficij collocatur.

Erogandum igitur est pauperibus in honorem Dei, qui munificè remunerat beneficia egenis præstita. Deo enim commodato dat, qui benefacit pauperi. Nec tamen amat idem profusionem, sed modum largiendi præscripsit his verbis: Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus ipsorum maneas. Quisq; Oeconomus contentus sit eo fonticulo, quem ipsi priuatim Deus fœcundat & adauctat, & ex eo, quos potest, riuulos absque dispendio foras quoq; deductos emittat in vsum aliorum, quibus Oecono-

mia non est instructa, Illis etiam, quibus non affluit copia, non desperent, non indignentur, sed consolentur se bonitate Dei, iuxta dictum Psalmi 84. Atq; aliqua nidum sub trabe passer habet.

DE HOSPITALITATE.

Deinde quoniam in hac vita hospites sumus, & omnes cupimus hospitium nobis tranquillum esse Dei beneficio, simus etiam benignè affecti erga peregrinos, quorum tres sunt species. Primùm hospites dicuntur, qui commertiorum causa peregrinantur, quibus & iure naturali & iure gentium debetur beneficentia, quoniam hæc vita peregrinatione & commutatione carere non potest. Deinde sunt, qui ad fidem nostram confugiunt, socij confessionis, his debetur ea pietas, qua obligati inter se sunt omnes, qui ad cœtum Ecclesiæ pertinent. Deniq; exules in genere vocantur omnes proscripti aut vagabundi quacunq; de causa, quorum scelera non sunt notoria, quibus benefaciendum est iure humanitatis, etiamsi à nobis diuersi & moribus, vt humanißimè dixit Aristoteles: οὐκ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ, id est, non homini, sed humanitati.

De

DE CVSTODIA ANGELORVM.

Meminerunt studiosi hactenus à nobis exponi secundam speciem diuinæ pastionis, cuius hæc membra initio proposuimus: dona Dei, quæ vel per Spiritum sanctum vel per prouidentiam in creatione proficiscuntur ad homines. Deinde benedictionem rerum omnium, tum verò & custodiam Angelorum. Et quoniam benedictio erat per totam creationem peruestiganda, huc vsq; deducta est oratio, vt de fine hominis, propter quem omnia sunt condita, necessaria admonitio non fuerit omittenda. Nunc nec illud prætereundum est, huic gregi generis humani, cui adeò benignè vbiq; prospicit omnipotens Pastor, & optimus maximus Paterfamilias, munitissimam etiam esse additam custodiam, ne quid desit, quod ad intimam στοργὴν & solicitudinem vel patris erga liberos, vel pastoris erga gregem requiri posset.

Delegit sibi Ecclesiam Angelorum & hominum, quam in omnem æternitatem frui voluit cœlesti consuetudine veræ & sempiternæ beatitudinis, velut ciuitatem instituens, in qua genus humanum assimilatum Angelis, ipsos Angelos conciues haberet, cumq; ipsis esset particeps æternæ vitæ & gloriæ. Sed cùm Angeli in ipsa beatitudine

titudine & contemplatione Dei constituti, ac verè beati sint ab initio originis suæ, nos autem miseri ex hac valle lachrymarum, in quam Diabolus nos præcipitauit, in eam ciuitatem perbeatam à longè suspiremus, addidit misericors Deus nobis munitißimas excubias militiæ suæ cœlestis, vt tutò ab exilio in patriam turpiter amissam remeare atq; reuerti aliquando possemus.

Non quæramus hic anxiè de creatione, natura, potestatibus, differentia Angelorum, quarum rerum plena cognitio non nisi soli Deo congruit, sed contenti simus officium Angelorum ita considerare, vt nos quoq; officij nostri reuerentia & imitatione eorum piè recordemur. Esse Angelos spiritus minimè eiusdem naturæ cum Deo, sed à Deo creatos, vt sint ministri ipsius Dei & custodes hominum, demonstratione apud pios non eget. Itaq; manifestum est, illos neq; cultum neq; adorationem cum Deo admittere, cùm neq; creandi, neq; conciliandi, neq; vllam aliam potestatem habeant, quæ Trinitati propria est. Esse verò ministros & nuncios atq; executores, vt ita dicam, Dei omnipotentis, insignes loci sacrarum literarum manifestè ostendunt. Apparent enim patribus, & quidem cum ipsis colloquuntur, velut personam & vicem gerentes Domini & creatoris sui. Sic in Euangelica historia præsto sunt nascen-

nascenti Filio Dei, & tentato per Diabolum administrant, vt prædictum fuerat per Prophetam Psalmo 90. Et Danielis 7. Millia millium ministrabunt. Itaq; multitudo Angelorum modò exercitus Dei & castra, modò militia cœli nominatur. Et Epistola ad Hebræos cap. 1. conuenientissimo epitheto appellat λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα, διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν.

Maximum verò argumentum est ingentis Philostorgiæ in Deo erga genus humanum, quod non sui causa solùm, sed etiam hominum causa ministerium Angelorum instituerit, atq; certis officijs destinauerit. Nec enim illis tantùm vtitur, vt testibus & legatis suæ voluntatis, sed etiam generi humano custodiam huius militiæ cœlestis adhibuit, tanquam ratus conuenientissimum esse suæ prouidentiæ, hominibus quasi in societatem adiungere bonos Angelos, vt eorum exemplis mortales conscij suæ infirmitatis ad veram pietatem exuscitarentur, & in ipso conatu obedientiæ propugnatores haberent aduersus insidias & vim Diabolorum. Custodiunt igitur hi casti spiritus primùm in vniuersum totum genus humanum, malorum æquè ac bonorum curam gerentes, illorum quidem, vt ad Deum conuertantur, horum, ne ab agnitione Dei abducantur.

Testimonia

Testimonia perspicua sunt in sacris literis. Prioris exempli capit. 15. Ieremiæ: Curauimus Babylonem, & non est curata, hoc est, ipsa noluit custodiri ab exitio suo. Posterioris Matth. 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis, vbi de custodia eorum loquitur Filius Dei, qui noua obedientia cœperunt Deum agnoscere, quorum regenerationem simplicitati puerorum assimilat.

Deinde peculiari officio & ministerio præsto sunt ijs, qui Deum agnoscunt per Filium, & firma fiducia verè agnitum in confessione celebrant, & sunt vera membra Ecclesiæ. Hanc protectionem Angelorum graphicè describit Psalmus 91. in ipsa persona Christi, dulcissimis tropis exprimens studium curamq́ diuinæ custodiæ Angelis demandatæ: Quoniam Angelis suis mandauit de te, In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quasi dicat: Qui in Christo ambulant thorace fidei muniti, hi cùm regia via ad Deum incedant, tùm in secundis, tùm in aduersis rebus duces atq; comites, propugnatoresq́ habent Angelos, quibus mandatum est, vt propter Christum præsto sint pijs, arceant Diabolos, & retineant in via recta quærentes Deum in Filio, ne vel falsa persuasione, vel affectata ignorantia, & dissimulatione

pecca-

peccatorum, vel amore sophistices & malarum artium, vel deniq; contemptu Dei aberrent, & in vias Diaboli incidant.

Manus autem Angelorum sustentationis, & propugnationis speciem ostendunt, sumpta figura ab eo, qui κειμήλιον aliquod altera manu sustentat, altera defendit. Sunt enim verè κειμήλια Dei, qui pœnitentia & fide conuersi Deum rectè colunt, de quibus Filius Dei inquit: Nemo rapiet eas de manu mea. Sunt igitur Angelorum hæc officia: obseruant homines, inspectores sunt cogitationum & actionum, & quidem pijs vbiq; præsto sunt, vt Bernhardus inquit: In quouis angulo est Angelus. Impios auersantur, amant castos, deserunt impuros, gaudent pijs & honestis colloquijs & operibus, turpibus contristantur, gerunt bella cum Diabolis, vt eorum insidias & sæuiciam arceant. Ideo & Psalmus 34. a more exercitus & ratione castrorum accepta similitudine eorum militiam describit. Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum. Agamus igitur Deo aßiduè gratias toto pectore pro hac abundantia sui amoris, quo nobis addit excubias suorum militum, beatißimorumq; satellitum, & ipsos Angelos reuereamur imitatione castitatis & pietatis in omni dictorum factorumq; ratione.

De

DE PROVIDENTIA DIVINA, QVÆ EST TERtia species diuinæ pastionis.

Iam ostensa secunda specie pastionis, ad tertiam accedamus, quam in vniuersum prouidentiæ diuinæ suprà tribuimus, qua Deus omnia in natura curat & gubernat, siue quòd ita vult, siue quod ita permittit. Etsi autem ad prouidentiam pertinent, quæ suprà de beneficijs in natura commemorata sunt, tamen rei magnitudo pleniorem orationem postulat, vt quid nominetur & sit reuera prouidentia Dei, cognosci possit. Ac primùm cùm obscura sit hæc & latè patens doctrina, de qua & Philosophi & Ecclesiæ Doctores diuersa volumina certatim composuerunt, exuscitemus nos ipsa admiratione rei tantæ, vt ad veritatis peruestigationem diligenti cogitatione perueniamus.

Plena est admiratione hæc de Deo cogitatio, omnia nimirum à procuratione gubernationeq; ipsius pendere, quæcunq; in natura vel benè vel etiam malè gerantur & fiant, cùm ipse opifex optimus maximus omnia ad rationem mensuræ, numeri, ponderis, vt essent excellenter bona, condiderit, nec nisi quod bonum est, placere illi vllo modo possit. Quomodo enim sustentatur naturæ opificium adeò diuersissimis materia

fluxæ & vagantis motibus incitatum? Qua ratione admirabili textura elementa coëunt, ex qua emergunt & quasi expullulascunt rerum principia? Quid autem admirabilius ipso ordine & serie naturæ ex causarum connexione, & qualitatum participatione pulcherrimè efflorescente? Porrò quid quod συμπάθεια & ἀντιπάθεια ordinem diuersarum rerum iucundissimum pulcherrimumq́ reddit, perinde, vt illustrem orationem bonum carmen ex Antithesi compositum cohonestat æquè atq; ornat.

Itaq́ ipsam naturam rerum minimè extitisse casu, sed à sapiente architecto ortam, & veluti artificiosissimum horologium αὐτόματον esse instructam, vel ipsa series & dignitas continuato quasi fluuio, perpetuo ordine labentium, manantiumq́ rerum argumento est, ex qua prouidentia conditoris copiosissimè elucet. Quemadmodum enim perenni cursu abeunt limpidissimi & vberrimi fontis riuuli, non modo quotidiano vsui aquam viuam suppeditantes, sed etiam prata, hortos, agros dulci irrigatione humectantes, vnde indies prouentus & vtilitas ad vniuersam viciniam redit: Sic omni momento assidua cura & vigilantia Dei tota rerum creatio sustentatur, gubernatur ac conseruatur

uatur ad vſum mortalium, propter quos omnia ſunt condita.

Vt igitur intelligamus, quid ſit prouidentia Dei, à noticia ipſius auſpicium ſumat oratio. Quemadmodum enim manifeſtum eſt Dei veram noticiam non modò ex demonſtrationibus in natura, quæ tùm ex corpore creationis, tùm ex natura hominis ſumuntur, ſed multo magis ex teſtimonijs patefactionum, eſſentiæ & voluntatis Dei colligendam atq; inueſtigandam eſſe, ſic prouidentiæ diuinæ veſtigia licet in natura deprehendi & monſtrari poſsint, vt à Philoſophis eſt factitatum, tamen è verbo Dei, quod proponit, maieſtatem & voluntatem ipſius, declarari plenius poteſt & certius. Primùm igitur de vocabulo inquiremus, à cuius definitione ipſius quoq; rei conditio & natura rectè cognoſcetur. Etſi autem rei dignitas multo eſt maior, quàm vt vno vocabulo exprimi poſsit, tamen quia nomenclaturis opus eſt, tanquam notis rerum, oportet aliquod vocabulum eſſe vſu receptum, quo ſignificetur rei magnitudo.

PROVIDENTIÆ itaq; nomen inde eſt, quòd is, cui aliquid præcipuè curæ eſt, longè proſpicit, cùm animi intentione, tùm voluntatis obſecutione, quid conueniat & maximè proſit rei conſeruandæ. Exemplo poterit eſſe, dictum Pſalmi 139. Vidiſti, ô Deus, ſubſtantiam meam

in limo terræ, antequam me faceres in Adam ex luto. Ita prouidentia curam studiumq; significat, tùm in intellectu, tùm in voluntate, vt Aquinas rectè admonet, & consuetudine communi dicendi prouidere significat prospicere & consulere, vt solet gubernator in naui, Oeconomus in re familiari, dux in exercitu, vnde & Homerus Agamemnonem ducem ποιμένα λαῶν appellat, quòd, quemadmodum pastorem oportet curare, vt oues saluæ sint, & habeant vnde viuant: ita Imperatori debeat esse curæ, vt exercitus sit saluus, & id perficiat, cuius gratia militet. Et Xenophon appellat Cyrum & bonum patrem & bonum principem, nimirum à prouidentia, quæ debet esse in principe. Apud Græcos quoq; vsus obtinuit, vt πρόνοια præcognitionem & curam simul significet, & προνόητος prouisorem significat, siue curatorem rerum sibi commissarum. Aristoteles quasdam etiam bestiolas affirmat rectè vocari φρόνιμα, scilicet in quibus sit δύναμις προνοητική. Significat igitur vocabulum prouidentiæ & præcognitionem, & procurationem, & gubernationem.

Excussa vocabuli significatione, propius accedit cogitatio ad rei ipsius naturam cognoscendam. Quid igitur in Deo sit prouidentia, videamus. Antequam verò definitionem statuamus,

intendenda mens est ad fontem diuinitatis, & inspicienda notatio vel descriptio Dei, essentiam ipsius & voluntatem ostendens. Nam si Deus est, (placet enim Lactantij verbis vti) certè & prouidens est, vt Deus, nec aliter potest ei diuinitas attribui, nisi & præterita teneat, & sciat præsentia, et prospiciat futura. Ita qui Deum esse intelligit & profitetur, etiam prouidentiam simul ipsius intelligit & concedit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. Constat itaq; cùm ab omnipotentia, sapientiaq;, tùm à voluntate Dei proficisci prouidentiam, qua Deus velut incola & rector præsto est naturæ à se conditæ, quod vel Ethnicus scriptor sublegit ex verioribus testimonijs, licet ab agnitione Dei procul alienus, dum inquit 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Sit igitur hæc nobis constituta definitio:

PROVIDENTIA DEI est certa ratio & intellectus ordinis in Deo omnipotente, solo, summè sapiente, iusto, bono, qua ratione ab æterno concepta, tanquam perpetua idea, omnia præterita, præsentia et futura nō modò cognoscit, spectat, prouidet, sed etiam omni momento procurat, regit, sustentat ac seruat, quæcunq; vel eodem modo agunt in natura, qui institutus & or-

dinatus est in causis naturalibus, vel aliter agunt hoc ipso modo diuinitus mutato, vel ex motu vagæ & fluentis materiæ, variè contingunt in elementis & mixtis corporibus, vel ex inclinationibus voluntatum humanarum liberè agentium, vel non agentium, vel aliter agentium, eueniunt: vel ex causis per accidens, casu & fortuna accidunt, præcedente deliberatione agentis ad eum finem, singula vel sustentans vel adiuuans, qui non pugnat cum conditoris voluntate, vel sustentans tantùm & non adiuuans, quoniam ita rerum ordo in natura institutus est. Hæc breuius poterant hoc modo dici: Prouidentia est in mente Dei ab æterno concepta scientia & procuratio eorum omnium, quæ in tota natura, vel fato Physico & contrà fiunt, quoniam ita vult conditor, vel contingenter, quoniam ita permittit.

Ex hac descriptione, quæ & fatum & contingentiam complectitur, intelligi poterit, omnia quæcunque sunt & fiunt in gremio & complexu naturæ totius, pendere à sola prouidentia Dei, quod cuiusmodi sit, et quo ordine agat prouidentia, explicatione & declaratione est ostendendum.

FATVM QVID SIT.

Primùm autem, quid sit fatum & contingentia, declarandum est, & alterum ab altero

distinguendum, deinde ipsius prouidentiæ ordinem in agendo propius intueri poterimus. Perturbant doctrinam de prouidentia variæ appellationes fati in scriptoribus. Primùm enim fatum significat decretum in mente Dei, hoc est, actiones primæ causæ vel ipsam prouidentiam ordinantem & gubernantem res pro suo arbitrio, vel mutabiliter, vel immutabiliter, vt si dicas. Imperia fato constituuntur, sicut & coniugia. Potestates fato dantur, hoc est, ordinantur à Deo, qui principalis causa est causarum omnium. Sic pœnæ scelerum sunt fatales, hoc est, decreto Dei constituuntur in sceleratos.

Deinde fatum significat Stoicis ineuitabilem necessitatem omnium motuum in materia corporum, in brutis & hominibus, & quidem oppositam libertati voluntatis in Deo, id est, talem, cui nec Deus possit repugnare. Dixerunt enim omnia necessario fieri, & sustulerunt non modò libertatem in actionibus voluntatis humanæ, sed etiam contingentiam Physicam & causas secundas connexuerunt cum prima, quasi compedes iniicientes ipsi Deo alligato ad naturam. Horum phanatica & impia opinio cùm pugnet non modò cum Ecclesiæ doctrina, sed etiam cum sententia sanorum Philosophorum, procul explodenda est è memoria & sermone hominum.

Tertiò vsurpatur vocabulum fati pro significatione casus & fortunæ, vt apud Lucanum alea fati, pro eo, quod dicunt, fortunæ. Hæ differentiæ significationum in autoribus obseruandæ sunt, vt rectè explicetur sensus scriptorum, vt Vergilij sententia non est aut Stoica, aut Epicurea, in necessitatem, vel casum reijciens aduentum Æneæ in Italiam, cùm inquit:

Italiam fato profugus Lauinaq; venit
Littora.

Sed prædicat versiculus prouidentiam diuinam, per quam imperia constituuntur.

Quartò significat fatum ordinem omnium rerum in natura à Deo institutum ex connexione causarum secundarum, quæ à prima gubernantur, & agunt necessitate ea, quam Deus potest commutare pro suo arbitrio. Hoc significato accipimus fatum in definitione prouidentiæ, vt sit quasi executio prouidentiæ diuinæ in rebus naturalibus, dependens à prouidentia, sicut effectus à causa. Ita planè prouidentia est prima causa gubernatrix naturæ. Fatum est effectus prouidentiæ, videlicet, connexio & circulus secundarum causarum, non Stoica catena, hoc est, necessitate immobili, sed quam Deus liberè agens potest mutare, vt vult, sicut sistit cursum Solis, & mare rubrum. Sic idem sunt fatum & natura etiam Aristoteli, qui lib. 5. Auscultationis fatalem

talem generationem dixit pro naturali. Hoc differentiæ gratia fatum Phyſicum ſolet appellari. Cùm itaq; de prouidentia loquimur, intelligimus non modò præſcientiam & ſapientiam in Deo, ſed procurationem & στοργὴν & gubernationem rerum omnium in natura. Cùm de fato loquimur, ordinem in natura intelligimus, qui gubernatur à prouidentia Dei.

DE CONTINGENTIA.

Porrò, cùm ipſa diſsimilitudo motuum in natura & rerum diuerſiſsimis mutationibus variè orientium & occidentium indicio ſit, non omnia fieri neceſſariò, ſed multa ita fieri, vt aliter ſe habere poßint, tam in rebus naturalibus quàm in actionibus hominum, ea quidem, quæ ſic fiunt, contingentiæ nomen acceperunt, vt ab ijs, quæ neceßitate vel abſoluta vel naturali fierent, diſtinguerentur.

Eſt igitur CONTINGENTIA *eorum, quæ non neceſſario, ſed contingenter, hoc eſt, ita fiunt, vt euenire aliter, vel non euenire potuiſſent. Et quidem duplex eſt contingentia.*

PHYSICA *dicitur, quæ in rebus accidit, cùm præter ordinem certum naturæ & neceſſarium in ipſo fluxu materiæ vagantis, motu in ele-*

mentis, & mixtis corporibus variè concitato, res eueniunt, vt contingens est eodem die pluuiam cadere Ienæ, Vinariæ non cadere, Quia materia pluuiæ hinc inde vario motu dispelli potest, vt vel cesset, vel deficiat. Sic duo poma concrescunt, & aliam formam referunt, quàm naturalis ordo requirebat. Sic à Plutarcho pestis Atticæ causa in Periclem refertur, quòd colluuiem hominum ex agris in vrbem temerè recepisset.

Contingentia VOLVNTARIA dicitur de ijs euentibus, qui à libertate voluntatis humanæ dependent. Cùm enim à Deo Angeli & homines ita conditi sint, vt libera voluntate agerent, hæc ipsa libertas, qualiscunque reliqua est post lapsum, cùm posit aut velle aut nolle, aut suspendere actionem, fons & causa est actionum humanarum & euentuum, hoc est, contingentiæ voluntariæ. Pompeius amittit exercitum in campis Pharsalicis imprudentia potius et ignauia quàm necessitate, hoc contingentiæ adscribitur rectius, quàm fato. Poterat enim Pompeius prudentius agere & cauere periculum, aut certè minore dispendio sibi fuga consulere.

Hoc loco incidit Quæstio, Cùm Deus etiam contingentia sustentet & determinet, & multa fiant ab hominibus sceleratè atque impiè, quomodo pendeant à prouidentia Dei etiam de-

licta & scelera, & an Deus etiam scelera hominum determinet? Deinde, an Deus volens per quandam fatalem tyrannidem exerceat genus humanum calamitatibus & miserijs, & sic autor sit mali in natura.

Hic responsio rectè petitur à causa contingentiæ. Quia enim Deus hominem condidit, vt liberè ageret, homo autem natura sua, quæ infecta & deprauata est instinctu Diaboli, procliuis sit ad malum, & ideo voluntatem inclinet sæpe ad ea consilia & facta, quæ pariunt tùm turpes, tùm infelices euentus, manifestum est humanam voluntatem esse causam omnis mali in hac vita, & non Deum, qui non vult, nec approbat peccatum. Estq; hoc caput & summa in hac disputatione, Causa calamitatum humanarum est peccatum, Causa peccati voluntas hominis impulsa. Cùm igitur nec scelerum nec calamitatum humanarum causæ referri poßint in Deum fontem augustißimum & sempiternum omnis iusticiæ & bonitatis, relinquitur alia Quæstio, mentibus non satis firmiter instructis, doctrina de prouidentia Dei, nimirum, quomodo Deus determinet contingentia, vel euentus humanorum consiliorum atq; actionum?

Ad hanc quæstionem quod responderi piè & rectè poßit, non dubito esse huiusmodi

Deus ea, quæ vult & approbat, aliter determinat, & tamen necessitate consequentiæ, vt supplicia scelerum, sicut communis experientia testatur, quàm ea, quæ non vult aut approbat, vt peccata hominum, quæ determinat tantùm præuidendo & permittendo, & certam metam constituendo. Non enim semper impedit mala, etiamsi nunquam ea adiuuat, sed interea sustentat naturam, & quidem liberrima voluntate, sicut eam liberrimè condidit. Ordine autem agentem simul & sustentat & iuuat, ruentem vero contra ordinem tantùm sustentat, quia condidit, non autem adiuuat, quia non approbat. Nec enim alligatus est Stoicè causis secundis. Et tenenda est regula: Prima causa semper sustentat, sed non semper adiuuat, quando secunda contra ordinem vergit.

Quod igitur homo ruens contra ordinem committit flagitia & scelera, & accersit sibi mala & calamitates, culpa non est in Deo, sed in Diabolo impellente hominem, & in voluntate hominis non coërcenti προαίρεσιν ad mala, vt Homerus rectè dicit α. Odyss. homines sibijpsis & malorum & calamitatum esse causas, quæ ipsis accidant præter fatum, hoc est, præter prouidentiam Dei. Inde etiam apud alios sapientes scriptores testimonia extant huius rei. Nam & Pythagoras hominum calamitates αὐθαίρετα πήματα appellat.

appellat. Et Menander easdem ἑκούσια κακὰ nominat.

EXEMPLA PROVIDENTIAE.

Quae commemorata sunt hactenus, ad explicationem definitionis pertinent, qua describitur prouidentia. Sed cùm res lumen accipiant ab exemplis, iam licebit animo & cogitatione complecti exempla vbiq; in natura copiosissimè sparsa, adeo, vt etiam in minutissimis rerum formis occupata sit cura & gubernatio diuina, vt Filius Dei testatur de lilijs Matth. 6. Non nent, non laborant &c. Aperiamus itaq; oculos, & intendamus mentes, & videbimus picturam prouidentiae lucere per totam creationem, quasi certis spectaculis, gloriam Dei, bonitatem, omnipotentiamq; demonstrantibus, vt Psalmus 18. testatur. Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Ab hoc quasi filo prouidentiae pendent omnia, quae & lingua nuncupari, & animo cogitari possunt ad admirabilia opera Dei, orbium coelestium motus, vices temporum, qualitates rerum, ordo causarum, rerum crescentium corpora & formae, initia & periodi imperiorum, praemia meritorum, & poenae scelerum.

Pingi verò etiam ab Ezechiele prouidentiam cap. 1. Hieronymus admonet, & ostendit ipsa rei imago complexione rotarum & animalium, quae aguntur

aguntur Spiritu Dei in omnem partem orbis terrarum, & reguntur nutu insidentis in throno cœlesti gubernatoris, quem hominis specie describit. Lutherus de regno Christi in Ecclesia exponit, sed nihil impedit, quin de prouidentia intelligatur, cuius donum est liberalißimum regnum Christi.

Pudeat verò nos socordiæ atque ignauiæ nostræ, qui in diem viuentes, rarißimè cogitamus de prouidentia Dei, cùm etiam Ethnici homines eam admirati sint ac venerati. Omnes enim Philosophi & Poetæ, quorum nomina sunt in precio, celebrant prouidentiam, & annotatur Epicharmi dictum diligenti recordatione dignißimum: οὐδὲν διαφεύγει τὸ θεῖον, τοῦτο γινώσκειν σὲ δεῖ, αὐτὸς ἐσθ' ἡμῶν ἐπόπτης, ἀδύνατον δὲ οὐδὲν θεῷ, hoc est, nihil fugit diuinum numen, hoc te cognoscere oportet, est noster inspector, & nihil est Deo impoßibile. Prodest autem eiusmodi dicta tenere memoria, vt mentes accendantur, tùm ad gratiarum actionem, tum ad verum vsum rerum diuinarum. Nusquam autem illustrius pingitur prouidentia Dei, quàm in Psalmis, qui sunt veri buccinatores gloriæ Dei.

Sed admonendi sunt studiosi docendi & discendi causa, prouidentiam duplici nomine distingui, in generalem & specialem, quod et ipsum pertinet ad illustrationem laudis diuinæ. GENE-

ralis

RALIS est, qua Deus vniuersam creationem sustentat, regit ac gubernat, de qua concionatur Psalmus 103. cuius hæc fere summa est: Omnia sunt in manu Dei, quæ in toto sunt complexu naturæ, & Dei præsentia, cura, benedictione, ad certos vsus nascuntur, variantur & conseruantur, sicut diserte concludit: Aperis tu manum tuam. SPECIALIS prouidentia Dei est, qua curat eos, qui verbo diuino renati Deum vere agnoscunt & celebrant, quam prædicat Psalmus 139. copiose & ornate. De hac Philostorgia erga singulos Augustinus inquit: Habet curam tui, qui te fecit, qui habuit curam tui, antequam esses. in libro de Trinitate.

Exempla prouidentiæ suppeditant confutationem absurdarum opinionum, quibus hanc doctrinam maximè humano generi necessariam coinquinarunt quorundam Philosophorum non iudicia, sed delirantium somnia, instigante sic homines Diabolo, vt veram Dei noticiam de medio tollerent. Horum furores cognitos esse oportet, vt veritas è regione, quasi collata luce ad tenebras, vindicari & retineri posit. Primùm Epicurei, qui in administratione mundi nihil ratione geri, sed omnia casu volui, nasci, atque interire ex atomis orta affirmare ausi sunt, licet quod innatum insculptumque est omnium hominum mentibus

mentibus, vt Deum esse agnoscant, apertè negare non potuerint, tamen prouidentiam sustulerunt, dum omnium rerum effectus ac gubernationes in casum & fortunam retulerunt. Fuit enim eorum hoc velut axioma: Exultat prouidentia, casus & fortuna dominantur. Ex aduerso Stoici licet videri cuperent prouidentiam asserere, fortunam & casum à gubernatione reijcientes: tamen quia omnia necessario fieri contenderunt, eo ordine, quem nec Deus posset mutare, quantumuis à se institutum, alligarunt Deum ad naturam rerum, & non modò contingentiam, tùm in fortuitis rebus, tùm in actionibus moralibus euerterunt, sed etiam ipsam prouidentiam quasi è mundo exterminarunt, & vt breuißimè dicam, verbo asseruerunt, re ipsa sustulerunt.

Etsi autem Platonis in Phædone, Timæo, Repub. Aristotelis in Ethicis, Politicis, Physicis sententiæ de prouidentia tolerabiliores fuerunt, quas colligit Mirandula: tamen eorum successores, nimirum Academici & Peripatetici præter Theophrastum, qui fuit auditor Aristotelis, & admirator prouidentiæ, ineptißimè aberrarunt, quorum partim quidam concesserunt prouidentiam, partim excluserunt, dum astruxerunt multa fieri præter prouidentiam, vel ignorante vel non curante Deo, quidam sensibilibus tan-

tùm in

tùm in natura, quidam tantùm cœlestibus motibus tribuerunt rerum effectus & actionum humanarum euentus.

Hos secuti sunt, qui Astrologi vocantur, qui quandam necessitatem cum cœlo connectentes omnia regi influxu syderum nugati sunt, ordinem videlicet causarũ à cœlo pendentiũ. Finxerunt & alij ex Platonicorum numero mentem quandam creatam esse à Deo vniuersalem, quæ sit receptaculum idearum omnium in natura, & fontem prouidentiæ contineat. Hanc animam mundi vocarunt, estq́ hoc delirium Plotini & Porphyrij. Horum omnium quàm sint fanaticæ & falsæ & impiæ opiniones, facile mens eius assequitur, qui testimonia sacrarum literarum in promptu habet, quæ opponenda sunt stultis opinionibus, cùm Deo libere agenti tribuant curam omnium rerum. Christus asserit etiam in minimis portiunculis naturæ dominari, efficacem & prouidam esse gubernationem ac curam Patris cœlestis. Ergo etiam maxima & totum & omnia sunt curæ Deo.

Moses inquit: Et Spiritus Domini ambulabat super abyssum. Et Psalmus 103. testatur emitti & recondi Spiritum Dei, vt res vel crescant vel deficiant. Paulus inquit: In ipso sumus, viuimus & mouemur. Psalmus 94. Qui plantauit aurem, nõ audiret? Qui fecit oculum, nõ videret? Psal. 33. De cœlo respexit Dominus,

vidit omnes filios hominum. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Ad has sententias accedat diligens consideratio experientiæ, quæ κριτήρια affert, tum ex ipsis rerum naturalium fontibus, tum ex homine ipso quasi altero mundo, aut μικροκόσμῳ, vt Græcis dicitur, qualia sunt in ordine naturæ motus & temperies cœli, fœcunditas terræ, commoditas rerum crescentium, animalium, frugum, herbarum, seruitia, operæ, vires homini destinatæ. In homine tùm fabricatio corporis, tùm imago conditoris lucens in mente & in alijs interioribus viribus. In imperijs, iudiciorum, legum, pactorũ, contractuum ordo & conseruatio. Hæc omnia tanquam è speculo naturæ monstrant vestigia prouidentiæ diuinæ, quæ significant non casu, sed æterna mente conditoris regi & gubernari omnia.

QVIS VSVS EST HVIVS considerationis?

Qui ita assuefacit animum, vt & piè & prolixè cogitet de prouidentia, testimonijs verbi diuini & exemplis naturæ inuitatus, ille plurimum euitare poterit occasiones delinquendi aduersus Deum, & agnoscet non impunè abire contemptum, aut etiam neglectum prouidentiæ diuinæ, cùm homines sine timore Dei ruunt securè inordinatis affectibus in luxum & libidines, in idolatrias & alia scelera, & accendunt iram Dei,

vt imperia vel mutet vel euertat, vel transferat pro suo arbitrio, & pro actionib. hominũ vel bonis vel malis sicut Ezechielis 9. dicitur: Ciuitas repleta est iniquitate et sanguine. Dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, et Dominus non videt. Et imago huius contemptus & pœna proposita est in Psalmo 93. & exempla proponuntur in ruinis imperiorũ omnium ætatum. Tempore Philippi regis Macedonum cœperunt spargi corruptelæ in doctrina de Deo per Protagoram, Epicurũ, Democritum, quorum furoribus dementatæ mentes hominum conuerterunt se agminatim ad cultus dæmonum et numinum fictitiorum, neglecta omni commonitione de prouidentia.

Ideo secutæ sunt calamitates ingentes & totius Græciæ seruitus. Sic hodie propter securitadem, ingratitudinem & horrenda scelera, quæ indies accumulãtur, Germania tot horribilibus bellis concutitur, & calamitatibus meritò affligitur. Sed agnoscamus admirandam Dei bonitatem, quòd seruat Ecclesiam in tanta peruersitate hominum, ac propagat doctrinam cœlestem, non sinit intercidi bonas artes, fulcra veræ religionis, & fontes ciuilium bonorum, adiuuat conatus piorum doctorum, arcet Diaboli vim & insidias, communicat nobis hospitia, valetudinem, victum, daturus etiam vitam æternam omnibus credentibus in Filium ipsius. Pro hac prouidentia Patris nostri in cœlis quotidie & omni momento gratias agamus, &

mus, & vitam nostram regi ab ipso, gubernariq́; ad gloriam ipsius vera inuocatione petamus, Amen.

Non arbitror cuiq́; molestiam aut tædium oboriri ex prolixitate sermonis huius, quo velut ampliore circulo & Patrem, & Pastorem nostrum, qui in cœlis est, circumscripsimus, dum genera & discrimina diuinarum pastionum perquirimus, quibus nos infirmas & errantes ouiculas benignè alit, & fideliter conseruat. Cum enim à pascuis formulam & figuram dicendi delegerit Spiritus sanctus in hoc Psalmo, euagandum nobis fuit in amplitudinem tùm autoris omnium bonorum beneficiorumq́; in natura, tùm in vniuersitatem rerum, quæ dulcissimis pastionibus hisce continentur, vt & affectum fidissimi Pastoris curamq́; paternam & studium liberalissimum in conseruando grege agnosceremus: quæ duo cùm ita adumbrata esse auditoribus existimem, vt in ipsa contemplatione eorum fructum non exiguum percepturi sint, quandocunq́; voluerint, recipiamus nos velut ex Oceano in portum, velut ex immenso circuli spacio ad centrum, & ad Pastorem nostrum in consideratione Psalmi familiariter accedentes vocem eius audiamus, & ducentis vestigia in vera agnitione ipsius teneamus, cum fiducia & celebratione beneficiorum eius amplectentes.

Finis προλεγομένων.

Sic

Sic orditur Psalmus.

Dominus Pastor meus, nihil mihi deerit.

HÆc est Propositio & κεφάλαιον Psalmi Enthymemate comprehensum, prognato ex argumentatione tali animi cogitantis de beneficijs omnis generis, quæ à Deo erga genus humanum proficiscuntur?

Maior: Cui Deus verè est agnitus ex patefactione & voluntate ipsius, ita, vt non dubitet se Deo esse curæ, regi ab ipso & conseruari, huic nihil deest ad veram beatitudinem animi, corporis, & rerum externarum.

Minor: Mihi hoc modo Deus est agnitus per Filium suum, quem voluit liberatorem esse humani generis.

Conclusio: Ergo ego reuera sum beatus. Et hanc esse τὴν διάνοιαν & sententiam Psalmi argumento est vocabulum Iehouæ, quod est in Hebræo, quod Deo tribuitur Patri & Filio.

Metaphora ab officio Pastoris sumpta singularem habet emphasin, quæ ducit animum in hypotyposin effusißimi amoris, vigilantißimæ curæ & diligentiæ, & imaginem continet totius prouidentiæ diuinæ. ποιμαίνει est in Græco, quod regit, curat, ducit, gubernat, significat, more pastoris, qui semper in oculis habet gregem, & partes speculatur in omnes, ac prouidet, ne quid detrimenti capiat grex circumfusus, sicut ex hoc ipso

 tropo

tropo. Homerus Agamemnona appellat ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum. Et alibi delectatur Spiritus sanctus hac phrasi in Psalmis, Psa. 77.* ὡδήγησας ὡς πρόβατα τὸν λαόν σου, ἐν χειρὶ Μοϋσῆ καὶ Ἀαρών. *Et Psal. 80.* ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες ὁ ὁδηγῶν ὡσεὶ πρόβατον τὸν Ἰωσήφ. *Ita Deus vere est Argus oculatißimus generis humani, & eorum præcipuè hominum, à quibus rectè agnoscitur, quos ita curat & gubernat, vt omnibus bonis affluãt, & aduersus omnem violentiam Diabolorum, mortis, peccati tuti sint & salui: Duo enim sunt in hoc pastore, quæ vt velit, & vt poßit tueri suum gregem, omni momento efficiunt:* χρηστότης, *quæ describitur Psal. 102.*

> *Altius quantum tegit omne cœlum,*
> *Infimum terræ spacium iacentis,*
> *Gratia tantum Deus in timentes*
> *Semper abundat.*

Et παντοδυναμία, *quæ describitur Psal: 88.* μέγας καὶ φοβερός ἐστιν ἐπὶ πάντας τοὺς περικύκλῳ αὐτοῦ. *Cæterum huc pertinent loca Scripturæ, quæ habent similitudinem cum hoc tropo pastionis, vt Esa. 40. Ezechiel. 34. Iere. 33. Iohan. 10. 1. Pet. 2. Obserua autem iucundam conuersionem, qua oratio commutatur à tropo pastionis, quo prior pars Psalmi conficitur, in tropũ à similitudine conuiuij sumptum, quo posterius Psalmi membrum absoluitur, adiecto Epiphonemate, quo repetitur propositio.*

In loco paſcuæ me collocauit, ſuper aquam recreationis deduxit me, animam meam recreauit.

Declarat propoſitionem per diſtributionem eorum, quæ ad rationem paſcendi, & ad officium paſtoris pertinẽt, cuiuſmodi ſunt: ager compaſcuus, prata vligine & vicioſo pabulo carentia, & læto gramine herbeſcentia, et ipſa viriditate amœnitatem exhibentia. Secundò, aqua ſalubris ex limpidis fontibus, aut purioribus amnibus. Huc pertinet ratio paſcendi, potandi, inumbrandi ouiculas, quã deſcribit Virgilius & Columella lib. 7. ca. 3. Et Varro lib. 2. cap. 2. cuius verba omnino placet adſcribere: Circiter meridianos æſtus cùm defer- ueſcant, ſub vmbriferas rupes, & arbores patulas ſubijciunt, quoad refrigerato aëre veſpertino rurſus paſcant ad Solis occaſum, ita paſcere pecus oportet, vt aduerſo Sole agat. Caput enim maximè ouis molle eſt, ab occaſu paruo interuallo interpoſito ad bibendum appellunt, & rurſus paſcunt quoad contenebrauit. Tertiò, Actus & iter non impeditum, ſed commodum. Quartò requiritur, vt & paſtor ſit armatus non modò tuendi, ſed etiam iuuandi gregis cauſa. Ad hunc enim vſum habet pedum, vt pericula ab ouibus abigat, & vnco apprehenſas liberet, ſi quando vepribus & alijs impedimentis retinentur.

Hæc omnia ita iucundè depingit, vt ferreum et quouis Cyclope immaniorem eſſe oporteat eum,


quem non suauiter delectat dulcissima ἐνέργεια. Primum ager compascuus est Ecclesia, in qua verbum Dei est pabulum & potus, vt scriptum est: Edent pauperes & saturabūtur. Et Ioh. 7. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de vētre eius fluent aquæ viuæ. Et Ioan. 4. Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Quod dicit: Ad aquam recreationis, Hugo, & eum secuti, Spiritum sanctum de Baptismo vaticinari admonent, & est dulcis hæc & plausibilis, & pia cogitatio, sicut etiam facto ipso vaticinium de regeneratiōe per Baptismū in passione Domini ostensum fuisse piè creditur ex historia, qua ex latere Christi lancea transfixo sanguinem & aquam exiuisse Ioannes Euangelista memoriæ prodidit. Cuius rei & in Epistola 1. cap. 5. mentionē facit: Qui venit per aquam & sanguinem, vbi disertè hæc correlatiua ab eo ob oculos ponuntur constituentia regenerationem hominis. In cœlo Pater, λόγος, Spiritus, in terris sanguis, aqua, Spiritus. Pater propter sanguinem Christi remittit peccata, Verbum aquæ adiunctum est efficax ad salutem. Spiritus vtrinq; operatur regenerans hominē, & in regenerato fidem accendens, qua apprehenditur remissio. Ita cōsentaneum est, Spiritum sanctum hoc loco Psalmi, cùm in vniuersum prædicaret omnia beneficia prouidentiæ diuinæ, etiam ad fœdus, beneficiumq; in Baptismo respexisse.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſticiæ ſuæ propter nomen ſuum.

Vt hoc præclarum oraculum intelligi recte poßit, conſidera, quid dicatur in Pſalmis IVSTICIA. *Idem autem eſt, quod iuſtificatio, hoc eſt, iuſticia, quam Deus imputat credentibus, vt clare docet Pſalmus, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Et in Pſalmo, Quàm dilecta tabernacula, illuſtri proſopopœia pingitur hæc gratuita imputatio.* MISERICORDIA *& veritas ſibi obuiam procedunt, Iuſticia & pax excipiunt ſe mutuis oſculis. Veritas de terra orta eſt & iuſtitia de cœlo proſpexit, Quid enim aliud hoc eſt dicere, quàm ſi dicas, homines fide accipiunt imputationem iuſticiæ? Nam* VERITAS *eſt virtus, quæ ingenue & abſq; ſimulatione fatetur beneficium fide acceptum. Non enim noticiam tantùm, ſed habitum voluntatis quoq; ſignificat, hoc eſt,* προαίρεσιν *cum iudicio rationis coniunctam.* PAX, *quæ hic prædicatur, tranquillitas eſt pacatæ conſcientiæ & conciliatæ cum Deo in appræhenſione remißionis, quam tranquillitatem initijs Epiſtolarum precantur Apoſtoli.*

Porrò eadem eſt Dauidi iuſticia, quæ promiſſa & imputata eſt Abrahamo, & Abrahamo prorſus eadem, quæ primis parentibus eſt promiſſa, & eadem Eccleſiæ eſt, quæ promiſſa eſt his omnibus. Eſt igitur ſententia; deducit me, hoc eſt, conſer-



uat me certum, & non dubitantem in semita iustiticiæ suæ, hoc est, in fiducia misericordiæ suæ, & iusticiæ, quæ iam ante promissa & imputata est Abrahamo & omnibus credentibus imputatur propter nomen suum, hoc est, propter filium ipsius mediatorem. Hoc enim nomen Deus sibi tribuit, quod velit esse pater generi humano & per filium suum semen promissum Adamo & Abrahamo recepturus sit in gratiam ita apprehendentes hanc misericordiam, vt cum fiducia poßint eum nominare patrem, vt Apostolus inquit, Abba pater &c.

Huc igitur respicit hic locus, quasi dicat: Conseruat me in fiducia mediatoris, vt incedam firmiter certus salutis æternæ mihi donatæ propter ipsum, & munitus sim vera consolatione aduersus Diaboli insidias, & peccatum quod seminat Diabolus per hominem. Hanc ἀσφάλειαν vocat semitam iusticiæ, actum liberum, & tutum aduersus lupum diabolum. Hæc semita vel actus in solo Christo est, vt ipse testatur, Ego sum via, veritas & vita. Hæc cum ita sint, dignus est hic aureus versiculus Dauidis tenaciβima celebratione, cum fundamentum contineat totius doctrinæ Euangelij, de quo Lutheri extat oraculum aduersus portas inferorum validißimum: stante articulo Iustificationis stabit Ecclesia, corruente hoc, corruiillam etiam necesse est.

Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Ἐπινίκιον est triumphantis in gratuita misericordia Dei, quo describitur virtus fidei, sicut illud Psalmi 3. est: Non timebo multa millia populi circumdantis me. Iustificati enim fide pacem habemus. Et hic est triumphus verè Christianorũ quod sciunt se non sua, sed Dei iusticia eripi ex faucibus Diaboli & mortis, alioqui desperandum esset omnibus, si à nobis requirerentur opera, & dignitas ad consequendam iusticiam coram Deo.

Vmbra mortis non tantùm significat terrores peccati, & conflictationem cum Diabolo, vt Esa. 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est, sed etiam denotat, quicquid tentationum & afflictionum, vel specie fauoris, vel aperta tyrannide mundus obijcit pijs pericula, certamina, casus, insidias, dolos, quæ ipsius mortis imaginẽ ante oculos adducere videntur, in confeßione, sicut Virgilius in descriptione naufragij inquit:

Intentant omnia mortem.

Tales præstigias & vmbras mortis, si quis alius, & expertus est cumulatißimè, & superauit constantißimè Ecclesiæ heros incomparabilis Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, ex captiuitate diuinitus liberatus, & placidißimo vitæ exitu constantiam suam Christo contestatus, iuxta

dictum

dictum Prouerb. 28. Iustus quasi leo confidens absq; terrore erit. Et Syracidis 34. Qui timet Deum, nihil trepidabit. Deniq; iuxta Lutheri quoq; grauißimum & animosißimum dictum:

Si mundus hic dæmonibus
Scateret, sicut vermibus,
Nil timeremus anxiè,
Vincemus tandem strenuè.
Princeps mundi superbiat,
Ringatur atq; insaniat,
Nocere nescit nebulo,
Cùm fractus sit vel verbulo.

Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Descriptis pastione, aquatione, inumbratione & refectione ouicularum, etiam arma pastoris depingit, custodiam & defensionem describens. Atq; hic pastor idem est cum illo, qui Psalmo 45. describitur, persona Regis omnipotentis, celebrantis nuptias cum electa Ecclesia. Pingitur autem tali hypotyposi: Meßias Rex ingreditur forma & potentia admirabilis, & formidabilis præ omnibus regibus terræ, distribuit & spargit in subditos gratiam & benedictionem, pugnat pro suo regno gladio & sagittis, quibus armis vis & potestas verbi describitur. Deinde regnum ipsum administrat sceptro directionis, quo & gratia simul & potestas verbi describitur.

Nam

Nam vis verbi duplex est. Primùm ipso auditu sauciat atq; proscindit corda, vt terrore ac metu ex sensu παντοδυναμίας *diuinæ contremiscant, & trepident, quod fit etiam in impijs, vt Iudæi comprehensuri Christum in horto prostrati in faciẽ corruunt, ad sonum huius vocis: Ego sum, vel vulnerata & territa sentiant verum dolorem peccati, & ingemiscant ac sitiant opem & gratiam diuinam in ipsa contritione, vt Petrus Iohan. 6. contritus spiritu ad hæc verba Christi: Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego suscitabo eum in nouißimo die, alijs hunc sermonem vt durum reprehendentibus, loco duodecim interrogatorum, an & ipsi vellent desciscere, respondens exclamat: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quòd tu es Christus Filius Dei viui. Et Acto. 2. concionante Petro de resurrectione Christi & mißione Spiritus sancti, scriptum est, auditores compunctos fuisse corde, ac quid faciendum esset, interrogantibus, respondisse Petrum: Pœnitentiam agite, & eo die tria millia hominum esse baptizata. Ab hac* δυνάμει *verbum in Psalmo 45. gladio & sagittis comparatur, sicut & in Epistola ad Hebræos cap. 4. dicitur: Viuus est sermo Dei, & penetrantior quouis gladio.*

Deinde verbum efficax est motu Spiritus sancti in renatis, quos noua obedientia ornatos &

iusticia

iusticiam munitos conseruat, regit ac tuetur in tentationibus & afflictionibus, hinc in Psalmo sceptrum directionis vocatur, quod idem est cum virga & baculo in hoc Psalmo nostro. Estq; hæc virga apud Esaiam cap. 11. egrediens ex radice Iessæ destruens regnum Diaboli & Antichristi, vt inquit Esaias 11. percutiet terram virga oris sui & spiritu labiorum suorum occidet impium. In hac igitur consolatione acquiescunt ouiculæ huius pastoris, quæ est in solo verbo, & vt Paulus loquitur Ephes. vlt. in clypeo verbi & gladio Spiritus, Ac filius Dei ipse exponit hunc locum, cum inquit Iohan. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, nec rapiet eos quisquam de manu mea.

Parasti in conspectu meo mensam &c.

Iucundissima commutatione tropi à pascuis ouium transfert allegoriam ad suauitatem conuiuiorum inter homines, vel ad lauticias opipare instructæ mensæ, prorsus tamẽ idem sensu repetens, quod supra expressit. Ac plena suauitatis est collatio, qua disertè inter se componit singula membra huius loci, cum partibus loci superioris in Psalmo. Quod enim antea dixit pascua, id hic mensam vocat. Quod aqua refectionis est supra, id vo-

id vocatur hic calix inebrians, sicut & cum eo, quod semitam iusticiæ dixit, respondet hic, quod oleum pingue, vel oleum iusticiæ appellatur. Porrò sumpta est hæc sermonis figura ab apparatu splendide & copiose instructi conuiuij. Nam antiquitus præter epulas & poculenta etiam vsus frequens fuit vnguentorum in conuiuijs, vt apparet Luc 7. dicente Christo, oleo caput meum non vnxisti. Ex eo sumpsit similitudinem, quasi dicat, sicut is qui humaniter & hilariter exceptos conuiuas liberaliter tractaturus est, non modo copiosas & splendidas epulas apponit, sed etiam vnguenta addit, & vinum lectissimum copiose infundit, Ita tu Deus cumulasti me tua gratia, tua iusticia, benedictione, donis Spiritus sancti, vita æterna.

Eadem forma Salomon vsus est Prou. 9. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinũ & adornauit mensam suã. Vsus est & Christus Luc. 22. hoc tropo. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Reperitur in sacris literis huius tropi duplex significatio. Nã & gratiæ & iræ diuinæ abundantiam significat, vt Ezechielis 39. saturabimini super mensam meam. Et in Psalmo, Mensa eorum laquei.

Sunt, qui admonent hunc tropum ex ceremonijs legis sumptum esse de panibus proposítio-

ſitionis, quibus veſci non licebat, niſi Sacerdotibus, quos tamen Dauid exul, 1. Reg. 21. tempore neceſſitatis abſtulit ab Achimelech Sacerdote. Sed plus habet lucis expoſitio ſumpta à ſimilitudine regalis conuiuij, vt ſi regis loco accūberet mendicus famelicus, & tractaretur ſplendide, procul dubio celebraturus eſſet hoc beneficium ſumma laude & gratitudine. Ita Dauides noſter pro omnibus bonis ſpiritualibus & corporalibus hac figura ſermonis gratitudinem ſuam & venerationem erga beneficentiam Dei declarat.

Obſerua, quod dicit, aduerſus eos, Qui tribulant me, quo redditur illud, quod ſupra dixit, Non timebo etiam in valle vmbræ mortis, quaſi dicat, donauit me iuſticia propter nomen ſuum, non propter mea merita, vt ſim munitus & tutus aduerſus hoſtes meos, Diabolum & peccatum.

Impinguaſti oleo caput meum.

OLEVM ſignificat gratiam diuinam & pacatam conſcientiam, ſpiritualemq́ꝫ læticiam, vt Eſaiæ 61. vt darem eis oleum gaudij pro luctu. Et Pſalmo 45. vnxit te Deus tuus oleo iuſticiæ. Et in Chriſti parabola dulciſſima de homine vulnerato à latronibus & ſanato affuſione olei & vini, quæ naturam legis et Euangelij adumbrant. Deſcribitur igitur dulci amplificatione, tranquillitas & fœlicitas eorum, qui fide acquieſcunt in Deo, vt recte admonet Aretius Felinus, cum nullæ de-

læ deliciæ maiores & præstantiores cogitari possint, quàm est hæc iucunditas, videlicet, lætitia & pax conscientiæ, qua mens fruitur Deo reconciliata, & tuta aduersus morsus & venenum Serpentis Diaboli & peccati, vt Prouerb. 15. dicitur: Cor rectum perpetuum conuiuium. Huc pertinet & illud Iohannis Epistola 1. cap. 2. Sed vos vnctionem habetis à sancto illo, & nostis omnia.

Et calix meus inebrians quàm præclarus est &c.

Græcus textus sic habet: καὶ τὸ ποτήριόν σου *(& calix tuus)* μεθύσκον ὡσεὶ κράτιστον *(inebrians me, quàm est excellens, & quasi principatum obtinens.) Idem tamen sensus est in vtroq; possessiuo pronomine, si rectè consideretur relatio. Nam tùm infundentis & propinantis est poculum, tùm accipientis & bibentis. Est autem alia amplificatio beneficiorũ Dei, à conuiuali consuetudine sumpta, affluentiam significans bonitatis & misericordiæ Dei. Calix enim vsu scripturæ sanctæ significat, quicquid prouidentia diuina vnicuiq; mortalium offertur certo quasi numero & mensura definitum, quod Græci propemodum nominant* ἐπιβάλλον μέρος. *Est autem calix & afflictionis & consolationis, & hic quidem piorum duntaxat, ille communis pijs & im-*

pijs, diuersa tamen ratione, cùm afflictiones piorum sint δοκιμασίαι, impiorum verò pœnæ.

Quod discrimen eleganter pingitur Psal. 75, dum dicit, calicem repleri pijs & impijs à Domino, sed à pijs ebibi puriorem liquorem, qui in superiore parte est calicis, impijs exorbendum esse in fundo crassiorem humorem cum fecibus. Sic Psalmo 11. describitur calix impiorum, laquei, ignis, sulphur, spiritus procellarum ex indignatione, & ira Dei. Et Esaias dicit, Hierosolymam bibisse calicem iræ diuinæ vsq; ad fundum & feces, capite 51. Vide Ieremiam 25. Item 51. & Apocalypsin 14. & 18. de calice Babylonis.

Piorum calix describitur ex fructu passionis Christi Psal. 16. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui sustentas hæreditatem meam. Hoc igitur loco calix est & crucis & consolationis intelligendus. Describitur enim hac particula primùm gratiarū actio pro consolatione gloriosa ex inebriatione Spiritus sancti. Deinde gloriatio & exultatio in ipsa consolatione, qua Deus mitigat crucem, & victoriam largitur militanti. Non enim Deus, vt quidam Græcorum Poetarum de fortuna inquit, cùm vnum bonum hominibus propinauit, tria mala offundit, sed temperat calicem pijs inebriatione Spiritus sancti, vt sicut abundat in pijs afflictio Christi, 2. Cor. 1. ita

&

& abundat per Christum consolatio. Fidelis enim est Deus. 1.Cor.10. qui non sinit tentari pios supra id, quod possunt, sed cum tentatione simul dat euentum.

Ita Dauid certus de præsentia, auxilio & conseruatione diuina in omni studiorum & vitæ cursu hæc verba ingenti fiducia & vera lætitia animi pronunciat, quasi dicat: Quicquid mihi definisti vel afflictionum vel consolationum, id in me est κράτιστον, id est, victoriam obtinens, quoniam verbo tuo & Spiritu me consolaris & confirmas, mecum doles, mecum gaudes, mecum militas, mecum vincis, vt non tàm meus sit calix, quem propinas, quàm tuus, non tàm tua sit victoria, quàm mea, sicut & nos possumus & debemus gloriari cum Paulo, dicente Galat. 6. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Maius robur veræ consolationis affert legenti hæc explicatio, si obseruabit Dauidem, cùm hæc plenus gaudio tranquillæ conscientiæ enunciaret, etiam respexisse ad Meßiam, promissum Mediatorem, id quod vocabulum Iehoua repetitum in Psalmo, & fiducia iusticiæ propter nomen Dei, perspicuè indicant. Ex omnibus enim Psalmis elucet Christus tanquam gemma preciosissima auro comprehensa & circundata.

Et misericordia subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ, Et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum.

Epilogus κεφάλαιον Psalmi, sicut initio propositionis comprehenditur, alijs verbis repetens: Misericordia tua mihi præsto est, Ergo perpetuò ero membrum felix & beatum Ecclesiæ & regni cœlestis. Est enim hic finis fiduciæ in Deum, esse certum de misericordia Dei, & esse ac manere membrum Ecclesiæ, tùm in hac vita militantis, tùm triumphantis in vita æterna. Retinet autem metaphoram sumptam à pastore præcedente, comitante, subsequente gregem. Sensus est: Sicut gratia tua me præcedit, ita misericordia tua subsequitur, nec recedet à me, quoad in terris vixero, Ero igitur perpetuò membrum veræ Ecclesiæ. & hîc, & in futura vita & perbeata. Emphasin habet verbum subsequi, pie annotatam à Brunone Episcopo Herpibolensi hoc glossemate: Nisi Domini misericordia subsequeretur, facilè humana fragilitas deciperetur, Quia à tergo Diabolus insidias parat, quàm diu in hoc corpore mortali versamur, vnde nimis necessarium est, vt semper nos gratia Dei præcedat, & misericordia subsequatur.

Domus Dei primùm Ecclesiam significat in hac vita, videlicet congregationem & con-

coniunctionem piorum in doctrina & confeßione doctrinæ. Deinde etiam consuetudinem & coniunctionem vitæ æternæ in regno Christi. Hoc Psalmis ostenditur, vt cùm dicitur Psalmo 27. Vnum petij à Domino, hoc inquiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, & videam iucunditatē Domini, & visitem templum eius, quasi dicat: Summum bonum est, posse manere in Ecclesia à Deo electa, vbi & rectè docetur verbum Dei cum vera glorificatione nominis diuini, & certò expectatur vita æterna. Et Psal. 92. Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri florebunt. Et Psal. 121. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. In quo Psalmo describitur cœlestis Hierosolyma.

Habitare autem in domo Dei, est receptum esse in gratiam apud Deum imputatione iusticiæ per Filium, & prædicare gloriam & iusticiam Dei pacata conscientia per pœnitentiam & fidem, & inseruire alijs membris Ecclesiæ mutuo charitatis vinculo, donec in cœlestem consuetudinem Christi, Angelorum, & omnium electorum fiat emigratio in vitam æternam, sicut Paulus ad Ephe. 2. declarat: Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorum & domestici Dei, superinstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et eadem Epi-

stola cap. 5. & Coloss. cap. 3. præscribit ac docet, qualia debeant esse exercitia doctrinæ & celebrationis Dei in commercio conuersantium in domo Domini. Cùm itaq; summum bonum sit, Deum verè nosse & celebrare, habere remißionem peccatorum, esse certum de donata hæreditate vitæ æternæ. Ideo cum hac clausula consequentis in Epiphonemate claudit Psalmum Rex & Vates noster sanctißimus: Ergo habitabo in domo Domini, εἰς μακρότητα ἡμερῶν, hoc est, perpetuò, & absq; fine.


CLAVSVLA.

Ita habetis vtcunq; euolutum sensum Psalmi huius, qui cùm longè plus habeat in recessu, quàm fronte promittit, id quod omnibus Psalmis peculiare ac proprium decus est, profectò pia meditatione est longè dignißimus, & lectio eius scrutatori non oscitanti eò magis arridebit & placebit, quo numerosius iterabitur. Restat, vt quoniam Filius Dei affirmat, in domo Patris sui esse mansiones multas, & vltrò venturum se esse, vt assumat nos in vitā æternam, omni momento obuijs vlnis eum excipiamus, iuxta illud, quod præcipitur in Psalmo 2. Osculamini Filium. Deinde, cùm idem se pastorem profiteatur eorum, qui sermonem eius audiunt & seruant, agnoscamus & nos palantes ouiculæ hunc


fidelem Pastorem, & toto pectore oremus, vt Spiritu suo sancto corda nostra ad verum timorem Dei, fiduciam, obedientiam exuscitet, & confirmet in nobis, quod dixit: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea.

ΤΈΛΟΣ.

Finem imposuit huic Commentationi D. Stigelius 31. Augusti, Anno 1554.



VVITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHAN.
SCHVVERTEL,
Anno M. D. LXXII.



ORATIO DE VESTITV ET Ornatu Sacerdotali Veteris & Noui Testamenti:


RECITATA IN ACTV PROMOTIONIS MAGISTRORVM PVblico, à M. IOHANNE GRVNIO Noribergense, Alumnorum Electoralium Præceptore, cùm Collegij Philosophici in Academia VVitebergensi secundùm Decanus esset, 17 Calend. Octobris. Anno Christi 1590.

Psal. 119.

Paruulus sum ego & contemtus, sed statuta tua non sum oblitus.

VVITEBERGÆ

Typis Simonis Gronenbergij. Anno 1591.


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

MAGNIFICO, NOBILITATE GENERIS,

PRVDENTIA, ERVDITIONE doctrinæ, & virtute clarißimo Viro, OTTONI A DISKAV IN FINSTERuualde, Illustrißimo Saxoniæ Electori, &c. Burggrauio Magdeburgensi à consilys intimis, Domino & Patrono suo summa obseruantia colendo.



EMPVS BRVMÆ, quo mea in publicum prodit oratio, quam de ornatu Sacerdotali Veteris & Noui Testamenti conscriptam in actu solenni promotionis Magistrorum recitaui, historiam Halcyonis in memoriam nobis reuocat, Magnifice, Nobili genere, prudentia, eruditione doctrinæ, & virtute clarissime Vir, Domine & Patrone reuerenter colende, cui auiculæ Deus non obscura mirandæ sapientiæ & bonitatis suæ vestigia impressit.

Duo sunt præ cæteris omnibus in hac rerum vniuersitate illustria de Deo testimonia, motus corporum cœlestium, legibus constantissimis sibi ipsi perpetuò conformis, vicibúsque mirandis va-



riatus: & natura hominis, qui DEVM animo, & Mundum corpore repræsentans Imago DEI & μικρόκοσμος appellatur, quæ omnia in cœlo & homine sapientissimè ordinata, neque à casu, neque à sola materia, sed ab aliqua caussa efficiente, cuius sapientia & potentia sit infinita, ortum habere Ethnici saniores ratiocinati sunt: Nihilominùs tamen cæteras quoque in natura partes considerare prodest, quod singulis, tametsi spretæ & minutæ videantur, quædam vestigia præsentiæ, sapientiæ & bonitatis suæ non obscura DEVS impresserit, iuxta illud: Præsentémque refert quælibet herba Deum. Hæc consideratio animo pio & pro beneficiis diuinis grato digna est, sicut contemtus animum prophanum & ab omni pietate alienum arguit. Ex hìs autem accuratiùs inspici oportet, quæ non in genere tantum monstrant, quòd sit DEVS, quòd curet genus humanum, quòd sit potentiæ, sapientiæ & bonitatis infinitæ, sed quæ in specie φιλανθρωπίαν καὶ χρηστότητα ipsius erga Ecclesiam oculis subiiciunt, qualis hæc est, quam initio dixi & quæ apud Plinium extat lib. 10. cap. 31. Halcyonis historia.

Refert Plinius Halcyonem esse auiculam paulò maiorem passere, purpureis & candidis distinctam pennis, quæ septem ante brumam diebus nidum vel in arenis littorum vel in scopulis marinis construens totidem post eam diebus oua pariat & pullos excludat, vnde ἀπὸ τοῦ ἐν ἁλὶ κύειν appellata est. Etsi autem mari magis hyeme, quàm reliquis anni partibus insurgente fluctus ad littora

&

& ſcopulos vehementiùs alliduntur, vt nauigatio inſtitui non poſsit, niſi cum præſenti vitæ diſcrimine: Hiſce tamen quatuordecim diebus mare ſubitò miteſcit & placidum redditur, ne mater cum pullis & nidulo ſuo inter fluctuum impetus periclitetur vel omninò pereat, vnde dies illi Halcyonij appellantur, quos ſerenitatis præſumtæ obſeruant nautæ, & hoc tempore ſeſe mari committere non dubitant.

Hæc imago quomodo ad varias Eccleſiæ & ſingulorum piorum afflictiones & liberationes quadret, minimè obſcurum eſt. Exercetur Eccleſia varijs ærumnis ab eo vſque tempore, quo inimicitiæ inter ſemen mulieris & ſerpentem poſitæ ſunt, & verè ſimilis eſt cymbæ ſine velis & remis inter fortunæ aduerſæ flatus & varia monſtra periclitanti, quæ impetu fluctuum hinc inde ſcopulis alliſa & rimas agens tantùm non ſubmergitur. Quia Diabolorum hominúmque impiorum furoribus duriter quaſſata, non pœnis tantùm communibus cum parte generis humanī deteriore, verùm etiam ob ſuos ipſius lapſus priuatis ærumnis implicita eſt, atque in hoc vaſto malorum pelago fluctuans, & ſub ingenti dolens geménſque onere mulieri à Prophetis & ab ipſo DEI Filio parturienti meritò comparatur, cuius eiulatus & querelæ triſtiſsimæ paſsim in ſcriptura extant. Quin & caput Eccleſiæ Filius DEI cùm in ſtatu humiliationis eſſet, pari fortuna vſus parique vel maiore potiùs calamitatum mole vexatus, tùm in Pſalmis tùm in ἀκμῇ paſsionis ſuæ in querelas erumpit triſtiſsimas, & exemplo ſuo teſta-

testatur, fortunam istam, quæ tunc capitis fuit, corporis sui & membrorum omnium perpetuam esse. Hæc igitur facies Ecclesiæ tristissima primùm in Halcyone pingitur, quàm pij intuentes consideratione fortunæ communis & ipsius Filij DEI exemplo contra scandalum crucis sese præmunire debent.

Quemadmodum autem in periculo naufragij neque interitus naucleri, neque copia sociorum in eodem genere mortis versantium firmo solatio periclitantes erigit, nisi portus monstretur, ad quem naufragi tandem appellere & incolumes euadere possint. (Nam quod trito fertur prouerbio, pœnarum socios esse miseris solatio, horribilis est ἐπιχαιρεκακία, qualis fuit in impio Latrone, qui venenato sarcasmo insultat Filio DEI supplicij socio, & qualis est in Diabolis, qui nullã aliam ob caussam in genus humanum tàm immani sæuiunt odio, quàm vt infinitam hominum multitudinem cruciatuum æternorum sociam habeant.) Ita neq; ipsius Filij DEI exemplum, neq; sors piorum communis constanti solatio afflictos eriget, nisi & ancora sacra, quæ cymbam illam in hac vita fluctuantem firmet, & portus aliquis monstretur, in quo lætus sit omnium ærumnarum finis & tranquillus exitus. Quare alteram quoque imaginem, in hac auicula nobis propositam, intueri prodest, quæ consolationem Ecclesiæ necessariam continet. Quemadmodum enim Halcyon contra fluctus marinos non suis viribus, sed sola DEI prouidentia defenditur, qui vt pro passerculis vilibus, ita pro hac quoque auicula solicitus, eo tempore, quo nidulum illa suum con-

struit,

ſtruit, oua parit & pullos excludit, mare quaſi obice & oſtijs firmat, vt neque terminos, quibus circundatum eſt, transgredi, Iob. 25, neque matrem cum nidulo & pullis obruere queat: Ita quanquam Eccleſia varijs in hac vita ærumnarum procellis iactatur, & inter ruinas imperiorum pœnasq́ vniuerſales, ceu cymba fatiſcens, interitum minari videtur, præter ſpem tamen, tâm ſuam ipſius quàm hoſtium ſuorum omnem animo præſenti, non ex ſeipſa concepto, ſed ex DEI Spiritu, & miſerias ſuperat, Deo ſubinde quædam halcyonia clementer concedente, & portum vitæ æternæ proſpiciens, remis concitatis veliſque panſis ad eum contendit, vbi corona gloriæ æternæ pro laboribus militiæ Chriſtianæ in hac vita exhauſtis donabitur.

Has vices Eccleſiæ ab ipſo Mundi exordio perpetuas eſſe, vt dies nebuloſos & turbulentos aliqui ſereni & tranquilli excipiant, quibus reſpirare ea atque ad nouos hoſtium incurſus animum & vires recipere poſſit, non ſolùm dicta Scripturæ ſacræ plurima, verùm etiam hiſtoria Eccleſiæ Veteris & Noui Teſtamenti vniuerſa comprobant. Eccleſia primorum Parentum idolatria & parricidio Caini duriter quaſſata, & propemodum corruiſſe viſa, DEO nouam ipſis prolem ſuſcitante, clementer inſtaurata eſt, Enos enim Sethi filius, verum DEI cultum Caini malitia collapſum reſtituit, Gen. 4. Patriarcharum anteſignani Abraham, Iſaac, Iacob fame, exilio, alijsq́ ærumnis publicis & domeſticis miſerè vexati, ſua ſemper hoſpitia ſibi diuinitus conceſſa, in Palæſtina & Aegypto habuerunt.

Vices similes populi Israelitici vniuersi tùm in deserto vagantis, tùm in terra promissa habitantis, passim in historia sacra & præcipuè in Psalmis 78. & 105. describuntur. Quin etiam in ipsa captiuitate, quæ πανολεθρίαν DEI peculio paritura videbatur, & inter media hostium agmina DEVS tranquillitatem aliquam ipsi concessit, non solùm Daniele & socijs ad gubernacula præcipuorum Regni Babylonici & Persici munerum euectis, verùm etiam Monarchis potentissimis vtriusque Regni Nabugdonosore, Euilmerodacho, Dario, Cyro, Assuero, Longimano, partim ad mentem meliorem veriúsque DEI agnitionem, partim ad mitiorem & ad populum Dei captiuum clementiùs tractandum procliuiorem conuersis. Post captiuitatem cùm sedes Ecclesiæ bellis Regum Syriacorum & Aegyptiorum mutuis & tyrannide duriter concuteretur, quoties flatu fortunæ in vtramuis partem inclinatæ secundo vel aduerso alteruter vel victoria tumidus, vel ex clade iratus in peculium DEI impressionem faceret, auxilio tamen paruulo, iuxta vaticinium Danielis cap. 11. sublevata est, & respirandi tempora sub Maccabæis habuit.

Quæ verò halcyonia Pater æternus Filio suo in carnem misso concesserit, historia sacra monstrat. Cùm enim Augustus Cæsar ingentem Antonij & Cleopatræ classem prælio nauali vicisset, & fine bellis ciuilibus imposito, solus imperio Romano potitus esset, pax in toto terrarum orbe facta est, vt princeps pacis, iuxta Iesaiæ vaticinium cap. 9. nasci posset, & quanquam Iudæa milite peregrino repleta & Arabum aliorúmque

prædo-

prædonum rapinis exposita erat: census tamen hoc ipso natiuitatis Filij DEI tempore per Augustum indictus in caussa fuit, vt viæ publicæ à latronibus aliquantum purgatæ transitum tutiorem Mariæ ex Nazareth Galilææ oppido in Bethlehem ciuitatem Dauidis in Iudæa concederent, vbi & ipsa mater partui vicina diuersorium, & Filius DEI in lucem editus præsepe suum habuerunt, & cùm Herodes cunis ipsius insidias strueret, DEVS Iosephum oraculo præmonitum & per Magos viatico instructum in Aegyptum migrare iussit, vt ab insidijs Tyranni tutus ibidem esse posset.

Similia halcyonia DEVS Ecclesiæ Nouæ etiam Testamenti concessit. Quanquam enim non habet de sede certa promissionem, qualem Ecclesia Veteris Testamenti habuit: Aliqua tamen hospitia, aliàs magis aliàs minùs tranquilla & commoda, largitus est, & ad consummationem seculi largietur, iuxta precationem Christi Ioh. 17. Non rogo vt tollas eos de Mundo, sed vt serues eos à malo. Cùm enim instaret finis politiæ Mosaicæ, & DEVS plurima atrocia in Prophetas, Apostolos & ipsum DEI Filium commissa parricidia finali gentis Iudaicæ excidio puniturus esset, Ecclesia quæ adhuc in herba erat, ne hoc pœnarum cataclysmo obruta funditùs periret, oraculo monita Pellam transiit, & sua ibi halcyonia habuit.

Post tempora Apostolorum, cùm ab Ethnicis crudelissimè tractata, omni propemodum spe



salutis excidisset, subitò quædam respirandi interualla est nacta, fastigio Imperij ad Constantinum translato, vbi à iugo Ethnicorum crudelissimo prorsus liberata est.

Concordant tempora Constantinum secuta, quibus etsi factio Arriana non solùm impijs dogmatum paradoxis, sed etiam ferro & armis in Ecclesiam veram grassata est, subinde tamen Doctores orthodoxi, qui sententiam veriorem assererent, & Imperatores pij, qui Ecclesiæ calamitatum publicarum procellis duriter quassatæ portum, hospitia & aliqua halcyonia concederent, diuinitùs excitati sunt.

Concordat denique illius, quod in regnum Antichristi incidit & huius nostri temporis historia. Etsi enim in Oriente lux doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ furoribus Mahometicis prorsus extincta est, & versus Occidentem Antichristus Romanus & toto regni sui cursu, quo tenebræ in religione paulatim auctæ, tandémque Cimerijs densiores factæ sunt, & hoc nostro seculo, quo lux Verbi noua refulsit, rabiosius in Ecclesiam grassatur, & lucem emergentem ferro & igne conatur restinguere: In diuersis tamen orbis habitati locis DEVS passim aliqua Ecclesiæ Filij sui hospitia concedit. Quin & inter ipsos furores Mahometicos aliqua Ecclesia DEO colligitur, tametsi lux doctrinæ minùs pura est, & seruitus durior, & in ipso Antichristi Romani regno semper aliqui fuerunt, qui idolomaniæ

Ponti-

Pontificiæ contradicerent, & hoc conſcientiæ ſuæ rectè iudicantis teſtimonium ſanguine ſuo obſignare non dubitarent.

Hæc conſiderare vtile eſt, vt hæc noſtra ſecula & hoſce cœtus noſtros intuentes ad gratitudinem excitemur pro hoc ingenti DEI beneficio, quod in hac magna Diaboli ira, qui modicum tempus habet, Apocalypſis duodecimo cap. inter horrendos Tyrannorum furores, inter pœnas & confuſiones huius vltimæ Mundi ſenectæ multiplices, & inter triſtes Regnorum ruinas, Eccleſiæ ſuæ, tùm paſsim in Germania, tùm in his præcipuè terris aliqua halcyonia, iam multorum annorum decurſu benignè largitur.

Quanto enim fremitu & furore Antichriſtiani in nos accenſi diſsipationem Eccleſiæ vniuerſæ non in regnis tantùm exteris, ſed in media Germania ſint moliti, conſilia ipſorum πανολεθρικὰ, & apparatus bellici teſtantur, quibus non in extera regna, ſed in Germaniam, adeóque in haſce terras impreſsionem tentarunt.

Sed quàm paternè cura DEI prouida, tùm conſilia Pontificiorum impediuerit, tùm gladios, ceruicibus noſtris iam iam intentatos, hactenus auerterit, & quàm turpiter ſpe ſua deciderint, grata magis mente agnoſcere debemus, quàm copia verborum exornare poſſumus.

Etsi autem Ecclesia nec consiliis humanis colligitur, nec brachio carnali defenditur: opera tamen Magistratus politici ceu medio DEVS plerunque vtitur, iuxta promissionem, quæ extat Ies. 49. Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, eámque ob caussam Dan. 4. Rex Babylonicus arbori confertur, sub cuius vmbra requiescunt animalia, & in ramis eius aues cœli habitant. Filius DEI igitur Ecclesiæ suæ custos semper aliquos pios Principes excitat, vt sint Ecclesiæ suæ nutritij, ipsorum autoritatem & potentiam furori hostium opponit, mentésque ipsorum spiritu suo illustrat & gubernat, vt non tantùm hostiles impiorum impressiones reprimant, sed etiam de nidulis ad Ecclesiam & docentium discentiúmque agmina fouenda commodis soliciti sint.

Tales olim fuerunt in populo Dei Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias, & extra illum in alijs atq; alijs locis Abimelech, Patriarcharũ, Abrahæ & Isaaci hospes, Pharao Iosephi discipulus, Nabugdonosor, Cyrus, Darius, Danielis auditores, Constantinus Theodosius, & hoc nostro tempore multi pij Reges extra Germaniam, multiq; in ipsa pij Principes, in quibus excellit & inclyta Domus Saxonica vniuersa, & præcipuè CHRISTIANVS Christianissimus, magni illius Augusti γνήσιος filius, Elector Saxoniæ illustrissimus, & Dominus noster clementissimus, qui dotibus animi heroicis Parente non inferior, hoc mundi decrepiti tempore, Ecclesiæ & Musarum portus & aura est, pro quo clementer Ecclesiæ donato diuinitùs nos gratias eò maiores agere, próque vita & incolumitate ipsius,

preces eò ardentiores ad DEVM fundere debemus, quò maior hactenus fuit, & nunc quoque est Pontificiorum rabies & impressionis in Ecclesiam & Germaniam vniuersam faciendæ furor efferatus, cui præter curam Dei prouidam próque peculio suo solicitudinem continuam, murum alium, quàm autoritatem Electoris nostri Illustrissimi, aliorúmque piorum Principum Cels. ipsius coniunctorum, hostibus formidabilem opponere non possumus.

Hæc orationi meæ, quam de ornatu Sacerdotali Veteris & Noui Testamenti publicè recitaui, ideo præmittere visum est, quòd hæc quoque Academia vel quodam fato suo singulari, vel odio Diaboli in eam acerbiori propter lucem Verbi diuini & Philosophiæ purioris per salutaria Dei organa, Dn. MARTINVM LVTHERVM & Dn. PHILIPPVM MELANCHTONEM, sanctæ ambos memoriæ, in ea iterum accensam varijs fortunæ procellis, multorum annorum decursu hactenus agitata, semper tamen piorum Principum cura aliquem inuenit portum, ad quem rebus propemodum, vt videbantur, desperatis, tandem appelleret, id quod continua Academiæ historia ostendere prolixius forsitan, quàm operosius futurum esset: Non penitùs certè à Diabolo dissipatam esse, id quod præter Pontificios alij multi, bellum cum ea ἄσπονδον gerentes, maximoperè optarint, argumento est, quòd aliqua docentium & discentium agmina coalescunt & congressus publici aguntur, in quibus Deo grata & Ecclesiæ salutaria dicuntur & fiunt.

Atq;

Atque hæc ferè est caussa mei consilij præcipua de hac oratione in publicum emittenda, quæ etsi neque ob rerum neque verborum copiam & elegantiam editione est digna, forsitan tamen ad hoc proderit, vt Ecclesiæ vniuersæ innotescat, hanc Academiam inde vsque ab initio doctrinæ instauratæ reuerenter amplecti scripta Prophetica & Apostolica, quibus lucem & nitorem suum pristinum DEVS per prænominata salutaria organa, Dn. LVTHERVM & Dn. PHILIPPVM restituit. Horum Virorum seruitia salutaria Ecclesiæ præstita autori Filio DEI grata mente ascribimus, & memoriam ipsorum sacrosanctam retinemus, & eundem Filium DEI oramus, vt doctrinam ministerio ipsorum nobis traditam sartam tectam conseruet, & multos Doctores Ecclesiæ suæ largiatur, qui sint γνήσιοι, horum duorum Germaniæ & Ecclesiæ luminum discipuli, & hypocrisin cæterorum tandem refutet, qui sancto vtriusq; Viri nomine ad opiniones suas palliandas abutuntur.


Cur autem sub tui nominis auspicio hanc orationem in publicum emittere voluerim, Magnifice Vir, Domine & Patrone colende, caussa non est alia, quàm vt aliquam gratæ mentis erga M. Tuam significationem ederem, quæ locum nō postremum habet inter eos, qui consilia publica instaurandæ huius Academiæ gubernarunt, huiusq; loci honestißimi, quem teneo, autores mihi fuerunt. Hanc summam M. Tuæ erga me beneuolentiam, vt mihi deinceps quoque polliceor, ita hoc xeniolo, quasi renouare, & M. Tuæ in memoriam reducere volui, quam hoc tenue gratæ mentis officium

eium candidè probaturam esse mihi planè persuadeo. Filium DEI oro, vt deinceps quoque consilia tua ad gloriam nominis sui, & Ecclesiæ Scholarúmque salutem dirigat,& M. Tuam hisce terris diu incolumem conseruet. VVitebergæ die Natali Domini & Seruatoris nostri IESV CHRISTI Annum nonagesimum primum, supra sesquimillesimum incoante,qui vt M.Tuæ felix & faustus sit, Deum toto pectore precor.

M. T.

C.

M. Iohannes Grunius, Noribergensis.



ORATIO DE VESTITU ET ORNATU SACERDOTALI VETERIS & NOVI TESTAMENTI.

SI exordio prolixiore has dicendi partes, quas sustineo in præsentia, tueri, vel veniam orationi meæ præfari vellem, Magnifice Domine Rector, inclyti & generosi Barones, Domini clementes, Reuerendi, clarissimi, pietate, prudentia, erudita doctrina & virtute præstantissimi viri, Domini colendi, tuq; corona virorum, ac iuuenum nobilium & honestorum longè augustissima, non de officio tantùm meo parùm rectè sentirem, sed etiam beneuolentiæ vestræ diffiderem. Nemo enim vestrum est, qui ignoret, me officio in hanc cathedram produci, & vt initium huiusce solennis actus ab oratione aliqua faciam, more Academiæ perueteri & laude digno iuberi. Quicquid autem officio fit & more laudato, id nec ausu temerario, nec impudentia

Captatio beneuolentiæ.

pudentia nec affectu, ſed iudicij rectitudine fieri, ideoque deprecatione non indigere, nec veniam, ſed laudem & beneuolentiam mereri, vos omnes mecum agnoſcere & fateri exiſtimo.

Etſi igitur nec eruditionem, nec dicendi facultatem eam affero, quæ ad verba in hoc cœtu facienda requiruntur, conſcientia tamen officij me tuebitur, & eam mihi conciliabit beneuolentiam veſtram, qua alios ante me complexi eſtis, quoties ex hoc ipſo loco & tempore, eodemq́ue fungentes officio verba facerent.

Sed mihi de materia, quæ cœtu tam auguſto digna eſſet, deliberanti tanta ſeſe difficultas obtulit, vt nunc quoque dubitem, an ex ea me penitùs expediuerim, quia video me ferè nihil dicere atque in medium proferre poſſe, quod non ante me alij grauitate, autoritate, & rerum, verborumq́ue copia maiore dixerint & protulerint. Taceo iam varios hoc ſeculo euentus orationis, quibus homines cordati inprimiſque ſenes mouentur, vt ſint verbo-

rum

rum parci & silentium tranquillum facundiæ ambitiosæ cum periculo coniunctæ præferant. Cùm autem hanc deliberationis Attentio. *difficultatem superare me cogant necessitas, &, quo in præsentia fungor, officium, & aliquid omninò dicendum sit, materiam elegi ex medio rerum, quæ in vita communi geruntur, cumulo, minùs fortasse iucundam & gratam, quàm iuuentuti necessariam, & ætati meæ competentem. Ingressus enim die mensis superioris decimo Climactericum ætatis meæ octauum, cùm animo repeterē non priuatas tantùm, quæ meis, sed etiam varias, quæ rebus communibus accidissent, vices, quas afferre solent Climacterici, deprehendi, sicut ætatem hominis, vitæq; statum & fortunam vniuersam, septimus quisq; annus aliquo casu insigni afficit, ita in Germania vniuersa, mo-* Docilitas *res hominum inprimisq; vestiendi rationē, quolibet propemodum septennio, semper in deterius, & adeò quidem à grauitate Germanorum pristina degenerasse, vt hodie Natio Germanorum à cæteris exteris nulla ferè alia nota, quā linguæ idiomate discerni*

queat, Germanis præter morem aliarũ gentium, suũ subinde habitum mutantibus, & vnâ cùm vestitu opiniones, mores, gestus & varia vitia, earum gentium, quas imitantur, prosapia & nomine suo inclyto indigna, imbibentibus. Sicut autem ineptias morum & vestium in mulierculis & infantibus dissimulando toleramus, quòd ob infirmitatem iudicij decorum statim cernere nequeant: Ita inepta hæc vestiendi stoliditas in ea hominum parte tolerari posset, quæ cùm literarum rudis sit, iudicij rectitudine caret. Sed quod iste etiam cœtus hoc malo laborat, qui cæteris facem pietatis, virtutis, grauitatis & honestatis vniuersæ præferre debebat, id verò est, quod cordatis bilem mouet & gemitum eò maiorem, quò minus malum hoc corrigi posse animaduertunt.

Propositio. Quare, vt saltem aliqui non planè desperati ab hac turpitudine, abhorrere discant, materia orationis meæ erit vestitus & ornatus Sacerdotalis in veteri & nouo Testamento, vbi primùm dicam, qualis

qualis ille summi & cæterorũ veteris Testamenti Sacerdotũ fuerit: Postea duas addam caussas, vnam politicam, & alteram allegoricam, quare talis fuerit, et quid ipsos monuerit: Tertiò vmbram ad corpus, typum ad veritatem, & allegoriã ad Filium Dei, summũ noui Testamenti Sacerdotem, & ad Christianos cæteros, quos ille noui Testamenti sacerdotes fecit, accõmodabo: vnde quartum erit per se liquidum, cùm vestis non minùs, quàm sermo sit character animi, stolidam istam & ineptam vestiendi rationem pietate Christiana, vt de grauitate Germana non dicam, & præsertim ordine nostro indignam esse. De hac materia per se, vt videtur, tenui si quid dixero, quod ætati teneræ prosit, quæ vel spectandi vel discendi caussâ confluxit, cæteri eruditi, qui honoris nostri caussa, vel ex officio adsunt, moram quantulamcunq; boni consulent, quibus auscultandi tædium orationis breuitate leuabo. Oro Filium Dei, summum noui Testamenti Sacerdotem, vt Spiritus sui numine res & verba



huic materiæ idonea & necessaria suppeditet.

Prima orationis pars de vestitu Sacerdotali veteris Testamenti.

Vestitus & ornatus Sacerdotalis vniuersus Veteris Testamenti, describitur à Mose Exo: 28. cuius paraphrasis extat, libro Antiquit: 3. cap. 11. apud Iosephum, qui cùm ex tribu Sacerdotali oriundus fuerit, fidem apud nos iure meretur. Lyra ex Iosepho pleraq; mutuatus est, quæ hac de re Glossis suis inseruit.

Series partium ornatus Sacerdotalis.

Decem autem partes ornatus Sacerdotalis vniuersi recensentur, quarum quatuor summo Sacerdoti cum cæteris cõmunes, maiestate tamẽ & pretio impari, sex verò ipsi peculiares erant, quas nemini præterquã ipsi, quiq; mortuo succederet, neq; alio tempore, quàm quo ad partes muneris sui obeũdas accederet, gestare licebat. Quædam item totum corpus, quædam verò certas tantùm corporis partes tegebant vel ornabant. Tali autem fere serie, & talibus verbis ab vtroque recensentur.

I. Tunica stricta byssina.

Vestis prima communis omnibus erat Tunica stricta, per totum duplex, corpus omne ad talos vsque complectens & operiens, intima & cuti proxima, lorica

ricæ inſtar corpus muniens, in ſummo Sacerdote roſulis gemmatis & Margaritis lucentibus ornata, manicis brachia constringens, nuſquam ſinuata, ſed tota ſtricta, longam ad collum habens aperturam, vt capite per eam exerto, ipſa dependens totum corpus tegeret, quales ferè ſunt ſubuculæ noſtræ ſeu induſia. Hæc Græcis χιτὼν *dicitur ad ſimilitudinem vocis Hebrææ* כתנת *(chythoneth) &* κόσυμβος, *id eſt, veſtis fimbriata, quæ nodulis conſtringitur. Materia huius veſtis erat Byſſus, quam ſcribunt eſſe linum candidiſſimum, in Galilæa naſcens in folliculis, qui ſunt ſimiles capitibus papauerum, & telam inde confectam igne non conſumi, ſed purgari, ideoq; æquali cum auro pondere vendi, & veſtes ex ea precioſiſſimas confici, quibus ſoli Reges, Sacerdotes & Optimates in Oriente vti ſoleant. Plin. lib. 19. cap. 1.*

Forma tunicæ ſtrictæ.

Materia tunicæ ſtrictæ byſſus.

Secunda veſtis omnibus communis, & partē tantùm corporis tegens, erat Femorale, quod à Ioſepho, cinctorium circa femora appellatū, & ipſum ex byſſo contextum erat tali forma, vt ſub tunica byſſina à

II. Femorale.

lumbis ad femora transiret, & per id pedibus ingredi posset, qui indueret. Vsum Cinctorij Moses indicat, vt ad cultus accessuri diuinos carnem turpitudinis suæ tegant, ne portantes iniquitatem suam moriantur.

III. Zona seu balthe-us.

Tertia erat Zona quasi quatuor digitos lata, quæ supra tunicam byßinam pectori modicè circumducta, ad crura vsq; dependebat, donec Sacerdos nihil operaretur. Sed ad studia sacrificiorum accessurus oras dependentes in humerum læuum reijciebat. Moses & Lyra baltheum appellant, quod est cingulum equestre, πανοπλίαν, *quæ ventrem & lumbos munit, corpori applicans. Stamen huius cinguli byssus erat, cui mira pulchritudine varij colores coccinei purpureíque erant intertexti, ita vt fimbriæ essent aureæ, & zona ipsa quasi pellis viperea videretur.*

IIII. Mitra seu pile-us.

Quarta erat Mitra byßina seu pileus, in modum paruulæ caßidis, medietatem verticis modicè excedens, & aliquantum sese in altum extollens, & descen-

su suo

ſu ſuo nuda colli tegens, cui aliud deſuper velamen circundari ſolebat, ne Sacerdote circa ſacrificia laborante mitra corrueret.

Præter hæc quatuor omnibus communia Sacerdotibus erant ſex alia ſiue ornamenta ſiue veſtium genera ſummo Sacerdoti peculiaria, quoties ad muneris ſui adminiſtrationem accederet. Ornamenta ſummi Sacerdo s propria. *Prima erat tunica hyacinthina, talaris & ipſa, quæ priori byßinæ ſuperinduebatur.* I. Tunica hyacinthina. *Hæc nulla parte ſciſſa aut aperta, tantùm circa collum ſectionem longam à pectore verſus vtranq; ſcapulam, & in manicarum extremitatibus oras habebat fortiter contextas & coloribus diuerſis gemmisq́; variatas, per quas Sacerdos caput & manus exereret. Hyacinthus eſt flos coloris violacei, cuius vſus eſt intingendo, & radix ſerpentum, ſcorpionum, crabronum, phalangiorum morſibus medetur. Plin. lib. 21. cap. 26. Hyacinthi igitur vocabulo non materiam tunicæ, ſed colorem exprimi manifeſtum eſt. Materiam verò* Hyacinthus.



fuisse ex lino & lana, argumento est, quod Iosephus lib. 4. cap. 6. scribit, vsum vestis ex lana et lino contextæ cæteris Iudæis prohibitum fuisse, Deut. 22. quod solummodò Sacerdotibus concessus esset, quales ferè sunt nostræ Vndulatæ, Damascenæ vel subsericæ.

Tintinnabula & mala punica. De fimbria huius tunicæ per vices & alternatim dependebant mala punica seu granata ex hyacintho, purpura & cocco confecta et tintinnabula aurea, quorũ vsus erat, vt sonitus ingredientis Sanctuarium in conspectu Domini & egredientis audiretur, ne moreretur.

II. Secunda vestis summi Sacerdotis propria erat ἐπωμὶς, superhumerale, Hebræis אפד Ephod, à stringendo aptandoq́ue nomen habens, quod humeris supra tunicam hyacinthinam inijceretur, eamq́ue qua laxior erat, stringeret & corpori applicaret.

Ἐπωμὶς, superhumerale, Ephod.

Ephod generale. Aliud autem generale erat, ex lino confectum candidißimo, quo Leuitæ, Reges & aliarũ quoq́ue tribuum homines in sacris vtebantur, vt Samuel. 1. Reg. 2. Sacerdotes Nobitani 1. Reg. 22. Dauid 2. Sam. 6.

Ephod Personale. Aliud personale

&

& summi Sacerdotis proprium, de quo hic agitur. Contexta autem erat hæc vestis de quinq; filorum generibus, auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto & bysso retorta, mira pulchritudine variata, & vt Damascenæ nostræ, exornata floribus opere Phrygio. Forma erat quadrilatera et ἐτεζομηνὴς in medio, quâ caput, et ex vtroq; latere, qua brachia exeri debebant, penitus aperta, vbi tamen nodulis connectebatur aureis, latitudine vtrunq; humerum, longitudine pectus ab antica, et lumbos vsq; ad renes à postica corporis parte tegens. Qua verò parte incumbebat humeris, insibulabant eam duo Onyches circellis clausi aureis, quibus catenulæ Logy seu pectoralis annectebantur. Inscripta erant hisce gemmis nomina filiorum Israel literis prouincialibus, in vtroque sena, vt ea summus Sacerdos μνημοσύνου χάριν gestaret coram Domino, & refert Iosephus, si Deus sacrificia approbaret, tantùm ex eis splendorem exiliisse, qui etiam procul positis appareret, cùm tamen splendor ille

Onyches duo in humeris.



gem-

gemmis per sese non inesset, sicut olim patrum sacrificia igne cœlitus delapso in signum gratiæ suæ accenderat.

III. λόγιον seu Rationale.

In medio Epomidis, quà pectori incumbebat, locus erat vacuus palmi magnitudine, vbi λόγιον, hoc est, Rationale iudicij inserendum erat, inter ornamenta summi Sacerdotis propria tertium. Hoc Græcis περιστήθιον, hoc est, pectorale, à situ & Hebræis חֹשֶׁן ab usu dicitur à נָחַשׁ auguratus est, diuinauit, quod Sacerdos de rebus dubijs & futuris oracula sibi diuinitus per pectorale præmonstrata proferret.

Structura Logij.

Erat autem pannus exactè quadratus, ex eodem, quo Epomis, contextus filorũ genere, duplex & quatuor ordinibus gemmarum insignis, ita vt in quolibet ordine tres essent, in primo Sardius, Topazius & Smaragdus, in secundo Carbunculus, Sapphirus & Adamas, in tertio Lyncurius, Achates & Amethystus, in quarto Chrysolithus, Onyx & Iaspis, Iosephus Berillum vocat, & singulis gemmis singula duodecim filiorum Israel, qui capita erant

Gemmæ Logij

tri-

tribuum, nomina erant insculpta, vt ea summus Sacerdos in pectore gestaret coram Domino. λόγιον *verò catenulis, & annulis ad gemmas illas humerales supernè, vitta verò seu fascia hyacinthina ad Epomidem infernè annexum erat, ne vlla parte ab ea dimoueri posset, & erant in Logio ex miranda Dei ordinatione, & ex ipsa colorum & fulgoris gemmarum harmonia pulcerrima Vrim & Thummim,* δήλωσις καὶ ἀλήθεια, *hoc est, Lux & Perfectio, seu Doctrina & Veritas, quod donum oraculorum fuit. Rabbi Salomon affirmat sub gemmis Logij nomen tetragrammaton scriptum fuisse, Iosephus lib. 3. cap. 12. refert, summum Sacerdotem Epomide & Logio indutum, non alia tantùm dubia & futura sciscitantibus; sed præcipuè pugnaturis ex reuelatione diuina certam prædixisse victoriam, & tantùm in gemmis pectoralibus fulsisse splendorem, antequam exercitus moueretur, vt omni multitudini manifestum fieret, Deum præstò esse, ideoque exercitus fiducia præsentiæ*

Catenulæ & annuli Logij.

Vsus Logij.

Dei & spe victoriæ indubitata ad prælia Domini progrediens, hostes terrore panico consternatos in fugam conuerteret. Et quoniam Deus seuerè præcipit Deut. 17. vt responsis summi Sacerdotis sine tergiuersatione obtemperetur & contumaces occidantur, hunc fulgorem in pectore ipsius τεκμήριον esse voluit, doctrinam, quam sonaret, & oracula quæ de rebus futuris aut dubijs ederet, immotam Dei veritatem, & euentus, quos præmonstrasset, certo secuturos esse. Scribit autem Iosephus, splendorem in gemmis humerorum & pectoris summi Sacerdotis ducentis annis, antequam opus suum congessit, cessasse ob enormes & continuas legis diuinæ transgressiones, sicut Sauli quoq; impio Deus per Vrim respondere noluit 1. Sam. 28. Lyra magis pie sentit, quòd in secundo templo post captiuitatem Babylonicam extructo nec Arca nec Logion fuerint, quòd gloria illa Filio Dei iuxta vaticinium Hag. 2. reseruanda fuerit. Etsi autem aliqui per Vrim nihil aliud quàm splendorem & lucem ex tot gemmis iunctis prodeuntem: & per Thummim in-

Vsus Logij quando cessarit.

tegrita-

tegritatem omnisq; vitij & labis expertem gemmarum puritatem intelligunt, & Rationale iudicij inde dictum volunt, quod nomina gemmis insculpta ostenderent, ius cultuum & promissionum diuinarum non ad solam Leuiticam, sed ad cæteras quoque tribus pertinere, quo etiam fine Rubenitæ, Gaditæ & dimidia tribus Manasse altare extruunt Iosuæ 22. Donum tamen oraculorum in pectorali fuisse, non solùm ea, quæ ex Iosepho retulimus, sed ea quoque, quæ extant apud Suidam, testantur, tametsi alicubi discrepant. Ephod, inquit Suidas, nomen est Hebræum, quod si interpreteris, manifestationem significat (Hosen per Synecdochen innuens) Erat autem forma eius textura palmaris, vario artificio, instar pectoralis ex aureis filis confecta. Ac in medio habebat quasi stellam omnino auream. Ex vtraque autem parte duos Smaragdos, in quorum vnoquoq; sculpta erant sex nomina, videlicet duodecim nomina tribuũ Israel. Porrò inter Smaragdos continebat lapidem Adamantem.

Alius vsus Logij.

Suidas de Logio.

Cum



Cùm ergo Sacerdos ſciſcitaturus erat de re quadam oraculum à Deo, ligabat Ephod in ſuperhumerali ad medium pectoris, & ſubijciebat manus ſuas ſub ipſum, quas cùm retraheret, deprehendebat eas quaſi colore quodam infectas. Petebat autem à Deo reſponſum infixis in Ephod oculis. Itaq; ſi Deus annuebat ad id quod petebatur, confeſtim micabat lapis Adamas. Si autem negabat, nihil ad priſtinum & proprium lapidis fulgorem accedebat. Quod ſi Deus voluit populum obijcere gladio, lapis reddebatur cruentus. Si autē imminebat mors, lapis fiebat niger. Hæc Suidas.

IIII. Zona rationalis.

Quartum ornamentum ſummi Sacerdotis proprium erat Zona rationalis ſeu baltheus pectoralis eiuſdem cum prioribus materiæ, varietate quinque colorum pulcerrima, & fimbrijs aureis, Epomidem ſtringens & corpori applicans, extremitatibus aureis à pectore dependentibus.

V. Cidaris.

Quintum erat Mitra, tiara ſeu cidaris hyacinthina, priori byſſinæ impoſita,

cuius

cuius oram posteriorem semicirculus terminabat aureus. Sed in fronte sextum erat ornamentum, Lamina aurea mitræ Sacerdotali annexa vinculo hyacinthino, figuram Lunæ corniculatæ referens, cuius pars conuexa deorsum, concaua verò & cornua sursum spectabant. Huic laminæ nomen tetragrammaton inscriptum erat, tanta latitudine vt à parte anteriore ad vtranque procedens aurem, cum semicirculo posteriore coronam absolueret. VI. Lamina aurea.

Omitto hîc Thuribulum aureum, quo summus Sacerdos suffitum quotidiè adolebat, semel tantùm in anno Sanctum Sanctorum ingrediens, Leuit: 16. Hebr: 9. Omitto & Balsamum, quo perfundi; omitto & alios ritus, quibus initiari solebat, Exo: 29. Leuit: 8. vt munere suo ritè fungi posset. Thuribulũ. Balsamum.

Series membrorum, quæ initio proposui, monet, vt secundo loco caussas exponã, propter quas Deus & summũ & reliquos Veteris Testamenti Sacerdotes habitu peculiari ornatos ad rerum sacrarum tractationem

Secunda orationis pars de caussis ornatus Sacerdotalis in veteri Testamento.

accedere voluit. Sunt autem duæ caussæ præcipuæ, ad Vetus Testamentum pertinentes, quas in hac secunda orationis parte tractabimus.

I. Caussa politica.

Prima caussa fuit politica, quòd nimirum vt cæteris ceremonijs omnibus, ita hoc etiam habitu Deus peculium suum, quod ex genere hominum vniuerso excerpserat, Deut. 10. & iure quodam suo in regnum Sacerdotale & gentem sanctam adoptauerat, Exo: 19, à cæteris gentibus omnibus, & tribum Sacerdotalem, cui soli cura & administratio rerum sacrarum commissa erat, à cæteris tribubus, quibus ad Sacra tractanda accedere non liceret, Num. 17. & 18, distinctum esse voluit.

Ethnici Legem amiserunt.


Cùm enim Ethnici non tantùm Lege naturæ, quæ erat Legis diuinæ radius post lapsum in mente humana reliquus, paulatim obscurata & extincta, multiplicem idolatriam, victimas humanas, nuptias incestas, aliósque mores Legi Dei & Naturæ contrarios recepissent, verùm etiam prima promißione & verbo Dei vniuerso abiectis,

Ethnici amiserunt promissionem

iectis, sacrificia tantùm & alios quosdam Patrum ritus retinuissent, nouis tamen & superstitiosis ineptijs subinde cumulassent, id quod rationis humanæ proprium est, vt sine verbo Dei suam ipsius lucem sequens in idolatriam & superstitionem ruat, & gestus sanctimoniæ externos admiretur: Cùm item in Ecclesia Patrum primitiua Deus certis responsis vel ambigua explicasset vel futura præmonstrasset, vt Gen. 15. 25. 41. Diabolus verò, vt certitudinem oraculorum Ecclesiæ, quæ Deum habebant autorem, astu obscuraret & eluderet, sua quoq; inter Ethnicos per Pythones aliosq; homines fanaticos responsa daret sciscitantibus, quale Dodoneum apud Herodotum, & Delphicum apud Diodorum & Iustinum & Pythonicum illud in historia Saulis, 1. Sam. 28. describitur; Impia tamen essent omnia, quæ idolatriam & superstitionē confirmarēt, futilia itē, perplexa & ambigua, quæ vel præstigias diabolicas redolerēt vel interpretationis varietate fenestrā effugij

Ethnicorum oracula Diabolica.

Finalis oraculorum ethnicorum caussa.



Diabolo aperirent, si euentus, qui à prouidentia Dei liberrima pendent, aliter caderent, vel homines animi dubios, ad consilia incerta, ad mouenda non necessaria & maiora viribus, denique ad desperationem impellerent: Cùm, inquam, hæc & eiusmodi plurima inter Ethnicos vsitata essent, Deus in hoc peculio suo Legem moralem voce sua cœlitus repetiuit, primam promissionem non tantùm nouis patefactionibus & Prophetarum oraculis instaurauit, sed etiam ceremonijs tanquam in ænigmate, donec impleretur, repræsentauit, vsum oraculorum verum & pietati antiquæ, verbóque suo consonum restituit, atque vt Lege ceremoniali vniuersa, ita vestitu quoque Sacerdotali, qui pietatem & grauitatem præ se ferret, ceu nota, peculium suum à reliqua colluuie hominum impiorum, qui sacrificia haberent sine verbo, & responsa à Diabolis peterent, discernere voluit. Præterea sicut in vita vniuersa vestis virum arguit, & non tantùm more hominum vsitato gradus officiorum vestitu distinguuntur,

Deus Legē repetiuit & promissionem.

Oracula & ceremoniæ Ecclesiæ.

Vestitus discernit officiorum gradus.

guuntur, sed etiam recto præditi iudicio, qui cæteris dignitate antecellunt, hoc ipsum discrimen tali vestitu ostentare student, qui autoritatem & eminentiæ opinionem gestantibus conciliet: Ita ornatus Sacerdotũ talis fuit, vt splendor inusitatus præsentiam Numinis diuini argueret, maiestas reuerentiam Ministerij diuinitus instituti pareret, grauitas autoritatem personæ à Deo ordinatæ conciliaret, magnificentia piam animi deuotionem in spectantibus excitaret, & hæc peculiaris vestiendi ratio Sacerdotes, quibus solis cultuum diuinorum administratio erat commissa, à cæteris Tribubus, quibus sacra tractare non licebat, discerneret.

Altera caussa est allegorica & spiritualis, quia vt Legem ceremonialem vniuersam: ita vestitum quoque Sacerdotalem Deus pædagogiam in Christum esse voluit, Gal: 3. Quid igitur Summum & cæteros Veteris Testamenti Sacerdotes, ornatus ille & vestitus peculiaris, de persona, de officio suo & de doctrina monu-

erit, deinceps in hac ſecunda orationis parte inueſtigabimus.

De allegorijs.

Etſi autem in allegorijs non neceſſe eſt omnes partes congruere, & qui in ſingula ſcrupula nimis ſuperſtitioſe inquirunt, inepti interdum fiunt & ridiculi, ſi quis tamen non præcipuas tantùm partes ad locum aliquem doctrinæ referat, ſed quædam etiam minuta ſcrutetur pietati profutura, in quibus annotandis Spiritum ſanctum aliquid operæ poſuiſſe cernimus, non omnem ille operam perdet, vt exiſtimo. Sicut enim nimia ſubtilitas ſine vtilitate eſt ſuperſtitioſa futilitas: Ita cõtemtus exilium, quæ pietati proſunt, & non tantùm à Deo præcepta, ſed etiam à Spiritu ſancto literis mandata ſunt, eſt indigna Chriſtiano profanitas. Sed redeo ad propoſitum.

Allegoria Ioſephi.

Ioſephus lib. 3. cap. 11. talem in ornatu Sacerdotali allegoriam quærit: Totam hanc Mundi vniuerſitatem ſentit habitu illo repræſentatam, atque à ſummo Sacerdo-

cerdote gestatam esse. Tunica enim linea, totam terram, veste hyacinthina polum, malis punicis seu granatis corruscationes, tintinnabulis tonitruum sonitus, superhumerali totum Mundi spacium vacuum, in quod lux qualitatum dissimilium sparsa est, Rationali terram, quæ in Mundi medio consistit, Zona Oceanum, vtroque Sardonyche Solem & Lunam, duodecim gemmis in Rationali totidem anni menses aut duodecim Zodiaci signa, pileo cœlum, & lamina aurea Deum repræsentatum esse scribit. Lyra allegoriam Iosephi sequitur, tametsi alicubi corrigit.

Etsi autem linguæ ignorantia errorem peperisse videtur in dicto Sap. 18, vbi voce græca τ̃ κόσμȣ non hanc Mundi vniuersitatem, vt vult Iosephus, sed ornatum sacerdotalem significari verba sequentia ostendunt: Si quis tamen ad Filium Dei summum Noui Testamenti Sacerdotem accommodet, qui omnia portat verbo virtutis suæ, Heb. 1. & qui in ara crucis sacrificium

Allegoria Iosephi ad Christum accommodata.

ſuum peragens & ornatu ſuo indutus, voce ac geſtu teſtatus eſt hanc Mundi machinam ſuo ſubiectam eſſe imperio, pedibus ad terram vt ſcabellum ſuum protenſis, capite ad cœlum ſedem ſuã erecto, aëre brachijs ceu palmo comprehenſo, Ieſ: 40. Sole & Luna obſcuratis, montibus concuſsis, ſepulchris apertis, ſupplicij ſocio in poſſeſsionem Paradiſi adſcito, & ſi quæ alia in hiſtoria Dominica cum hac Ioſephi & Lyræ allegoria congruunt, is non impiè in rebus diuinis, vt exiſtimo, philoſophabitur, quod fortaſſe Ioſephus non intellexit, ſed ſuam, vt puto, allegoriam ad politiam Moſaicam per totum terrarum orbem Meſsiæ potentia propagandam, & ad quintam Iudæorum Monarchiam accommodauit, qualem Iudæi ex ſiniſtro Danielis intellectu, cap: 2. hodiè quoque expectant, quorum facies in lectione Moſis & Prophetarum ſomnijs politicis, velatæ ſunt, donec in Chriſtum credant. 2. Cor: 3. Nos, priuſquã typum accommodemus ad res Noui Teſtamenti, hoc loco conſiderabimus, quid hic ornatus ipſos in Veteri Te-


Somnium Iudæorum.

ſtamen-

ſtamento Sacerdotes de perſona & officio ſuo, & de doctrina monuerit, vt accommodatio ad Nouum Teſtamentum, deinceps ſit facilior.

Cauſſæ veſtitus in genere.

Veſtitus plures habet cauſſas impulſiuas & finales. Initio primos homines de reatu monuit, quod nuditatem argueret, quæ lapſum ſecuta erat, Gen. 3. I. Veſtitus ſignum reatus. *Simul etiam gratiæ Dei ſignum fuit, quia pelles agnis mactatis detractæ monuerunt, victimam eſſe venturam, quæ naturam nudam iuſtitia ſua iterum veſtiret.* II. Veſtitus ſignum gratiæ. *Et diu manſit hic mos antiquiſſimus in Eccleſia, vt ſcelerati ſigna reatus in veſtitu geſtarent, quibus non tantùm à cæteris hominibus diſcerni poſſent, ſed etiam de atrocitate facinorum ſuorum, & de pœnitentia commonefierent.* Signa reatus in veſtitu. *Tale ſignum in Caino poſitum eſſe Gen. 4. ſcribitur, atque hunc ritum Ethnicos retinuiſſe, tametſi verbum amiſiſſent, exempla Oreſtis, Adraſti & aliorum teſtantur. Præter hunc finem geminum & principalem, alij paulatim acceſſerunt ſecundarij, vt veſtes neceſſitati &* Fines veſtitus ſecundarij.



ornatui seruirent, & gradus personarum officiorumq́ distinguerent. Nos de fine vestitus Sacerdotalis secundario paulò antè diximus: restat, vt hoc loco finis principalis allegoriam inuestigemus.

Fines vestitus secundarij.

Vestis byssine allegoria.

Vestis byßina duplicata, quæ ad talos vsque descendens & protensa totum tegebat corpus, Sacerdotes & de reatu suo & de iustitia victimæ promissæ admonuit. Homo in prima creatione bysso indutus est duplici, quæ fuit natura ipsius integra, & huius integritatis comes Dei gratia. Conditus enim est ad imaginem Dei, quæ fuit perfecta sapientia, seu lux in mente Deum Creatorem totamq́ rerum naturam monstrans, perfecta item iustitia, & voluntatis, omniumq́ cæterarū Animæ virium harmonia inter sese, & cum Lege Dei conformitas, cuius radius in mentem hominis transfusus erat: integra deniq́ voluntatis libertas præstandi perfectam, quam Lex Dei requirit, obedientiam. Homo quoque hoc donum integritatis retinens fuit in gratia Dei, & domicilium ipsius, & non

Vestis hominis ante lapsum.

solùm immortalitate in seculo futuro, sed etiam vigore animæ & corporis in hac vita donatus, vt de Mose legitur Deut. 24, & de Calebo Ios: 14. Sed fraude Diaboli hac bysso exutus, gratuitis spoliatus, in naturalibus vulneratus, & alia veste duplici, quæ est peccati & mortis, indutus est, qua circumcirca totus ita inuoluitur, vt vi propria sese expedire nequeat. Hæc vestis cruenta est & coram Deo abominabilis, Ies: 1. Ezech: 16, quali Iosuam summum Sacerdotem fuisse indutum, Zach: 3. legimus, & qualis Ps: 109. describitur, vbi maledictio Iudæ proditoris omniumq́ impiorum & Ecclesiæ hostium vestis appellatur, qualem deniq́ multifariam peccati & pœnarum sordibus fœdè ac miserè contaminatam gerunt, qui delictis atrocibus sese polluunt, & ob eadem puniuntur. Quanquã autem homo perizomata ficulna vtcunque sibi consuit, vt externam cœlet turpitudinem, adeò tamen immunditiem illa interiorem tegere nequeunt, nedum tollere, vt panno mulieris menstruatæ comparentur. Iesa: 16.

Vestis hominis post lapsum.

Vestis hominis cruenta.

Perizomata ficulna.

Vestis byssina quid monuerit Sacerdotes.

Hominem igitur hac veste cruenta, quæ sua ipsius, peccati & mortis est, tametsi folijs fici se vtcunq; ornare conetur, neque ad Deum accedere, neque cultus ipsi gratos præstare posse, sed aliena sibi veste opus esse, quæ esset victimæ venturæ obedientia, Sacerdotes hoc habitu suo sunt admoniti.

Vestis cur duplicata.

Duplicata autem erat, quia victima promissa, peccato & morte abolitis, iustitiam & vitam redditura erat. Ies: 40. Suscepit Hierusalem duplicia de manu Domini pro omnibus peccatis suis. Psal. 84. Gratiam & gloriam dabit Dominus omnibus, qui ambulant in innocentia. Ioh. 1. Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est, & D. Paulus Rom. 5. Gratiam & donũ per gratiam coniungit.

Vestis cur byssina.

Confecta etiam erat ex bysso, quia victima munda, Exo. 12. Leuit. 1. & 22. Deut. 15. & 17, Et ignem quidem iræ Dei subitura, non tamen sub ea peritura Ps. 16, Sed rediuiua ex morte. Acto: 2. λύτρον *auro preciosius Deo oblatura, 1. Pet. 1. & propitiatio pro peccatis totius Mundi futura erat.*

1. Ioh. 2.

1. Ioh. 2. Denique talaris erat, quia iustitia Christi imputata, homo coram Deo totus perfectè iustus est. Ioh. 8. Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Ioh. 13. Qui lotus est, totus est mundus. Rom. 8. Nulla nunc condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. 1. Cor. 5. Estis azymi, &c.

Vestis cur talaris.

Sicut autem vestis byssina hactenus descripta, quæ omnibus communis erat Sacerdotibus, de vtroque Dei beneficio, nimirum de gratia & dono per gratiam ipsos admonuit: Ita si tres reliquas, Cinctorium, baltheum & mitram, quæ non totius corporis, sed certarum partiũ vestes & ornamẽta erant, ad doctrinam pœnitentiæ & triũ eius partium, hoc est, ad contritionẽ, qua homo & præstantiam donorũ, quibus excidit, & miseriam suam, in quam per peccatum prolapsus est, agnoscit & deplorat, & ad fidem, qua sibi hæc gratuita Dei beneficia applicat, & ad iustitiam nouæ obedientiæ, quæ non perfecta est, sed tantùm incoata, accommodemus, non satis eruditè forsitan, piè tamen à nobis factum iri existimo.

Allegoria reliquarum vestium omnibus Sacerdotibus communium.

Cincto-

Cinctori-um.

Cinctorium seu femorale non omni caret mysterio, cùm in materiæ & vsus descriptione Spiritus Sanctus aliquid operæ posuerit, atque ad hunc fortasse locum Paulus alludens, 1. Cor: 12. Membra corporis, inquit, quæ putamus esse ignobiliora, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhonesta sunt, abundantiorem honestatem habent. Agè igitur quare Deus illam corporis partem accuratè tegi & occultari voluerit, & inhonestiorem, vt videtur, suo honore dignatus sit, paucis videbimus.

Cinctorium infimi ventris vestis.

Cinctorium byßinum fuit vestis infimi ventris, qui περιτοναίῳ *circumscriptus sub diaphragmate continet organa & sedes est eius potentiæ Animæ hominis, quæ Platoni* ἐπιθυμητικὴ *seu appetentia naturalis, Aristoteli* φυτικὴ *seu vegetatiua dicta, sub sese* θρεπτικὴν, αὐξητικὴν καὶ γεννητικὴν, *hoc est, Nutritiuam, Augmentatiuam & Generatiuam complectitur. Quoties igitur Sacerdotes Cinctorio induerentur, de integritate naturæ & puritate huius potentiæ,*

tentiæ, & de ἀταξίᾳ, quæ lapsum secuta est, sunt admoniti. Homo initio non tantùm ad imaginem Dei, Gen. 1. & 2. sed etiam ad immortalitatem conditus est, si imaginem illam retineret, iuxta dictum Gen. 3. Quacunq; die comederis, morte morieris. Immortalitatis pars seu comes fuit εὐκρασία totius corporis & singularum partium, ab omni qualitatum excessu & defectu recedens, & secundum proportionē Arithmeticam perfectè media, vigorq; animæ & corporis perpetuus ac continuus, morborum omnium & decrementi expers. Attributa est etiam homini non tantùm nutriendi facultas, quæ huic vigori conseruando seruiret, sed etiam in mente fulsit solida naturæ cognitio, ne iudicium in obiectis erraret, cui mentis rectitudini voluntas in electione obiectorum liberè consensit. Præterea sicut ab vno arboris stipite rami, frōdes et surculi infiniti excrescentes & propagati fructum ferunt: Ita Deus ex vno homine Ecclesiam innumerā propagari, atq; ab ea tùm in hac vita tùm in omni

Infima hominis potentia qualis in natura integra.

secu-

seculorum æternitate agnosci, coli & celebrari voluit, ideoque alterum ei sexum adiunxit, & facultate similem ex sese speciem procreandi generandique donauit, iuxta dictum, Gen. 1. Crescite & multiplicamini, & replete terram.

Infima hominis potẽtia post lapsum, qualis.

Sed postquam homo per lapsum imagine Dei & immortalitate excidit, mala tristissima hisce bonis in natura ipsius successerunt. Nascitur enim cum homine δυσκρασία *præcipuarum corporis partium vel à natura parentũ vel ab infausto siderũ positu orta, quæ hominem in vtero et extra eum peccato & morti obnoxiũ reddit, & quanquam aliqua mẽbris* εὐκρασία σύμφυτος *inest, ea tamen neque perfecta est, neque diu durat, sed multifariam turbatur, tandemq́; perditur, & succedit* δυσκρασία ἐπίκτητος, *quæ confirmatur & augetur, non tantùm à caussis externis, vt victu, aërè, loco, sed præcipuè ab internis & partim à caligine mentis, & errore iudicij in obiectis, quæ cùm salubria corpori esse existimentur, maximè perniciosa sunt,*

partim

partim à contumacia voluntatis, quæ contra mentis iudicium obiecta naturæ aduersa liberè eligit, quas ob caussas nec vigor hominis continuus, nec vita perpetua esse potest. sed mors animalis & πρόδρομοι huius varij morbi tàm αὐτόματοι, quàm ἑκούσιοι hominem non tantùm in παρακμῇ, sed omni ætatis gradu & tempore infestare solent, vt propemodum plures πρὸ τῆς ἀκμῆς & in ipsa ἀκμῇ propter peccatum, quod in his ætatum gradibus frequentius est, quàm senes παρακμάζοντας morte peccati stipendio, Rom: 6. mulctari experientia communis comprobat, quæ prouerbio germanico locum dedit: Tergora vitulorum & vaccarum pari numero venalia esse. Στοργὴ denique & sobolis procreandæ studium, sexusq́; ad sexum inclinationem diuinitus in natura ordinatam, horribilis ἀστοργία, turpis libido & fœda carnis prurientis concupiscentia excepit.

Cinctorium igitur primò fuit Sacerdotibus tristis pœnitentiæ & contritionis concio, Cinctorium pœnitentiæ & contritionis concio.

concio, quos admonuit de puritate harum hominis virium in natura integra, de immortalitate & de felicitate vniuersa primæ integritatis & immortalitatis comite, de dignitate potentiæ generantis, quo solo medio Deus Ecclesiam æternam in natura etiam integra sibi collegisset, & nunc quoq; colligit, de dignitate Coniugij à Deo ipso in natura integra instituti, de prouidentia et bonitate Dei, quæ conspicitur in conceptione, formatione, partu, nutritione, & educatione sobolis: De miseria item hominis, qui primo lapsu partim tãtis bonis excidit, partim turpiter ea contaminauit, de immunditie naturæ, quæ lapsum secuta est, & de mala concupiscentia, quæ est horribilis confusio ordinis diuini in natura, & tetricum venenum homini inhalatum, qui, vt cæteris corporis sui partibus & animæ potentijs, ceu armis ad peccatũ & iniustitiã abutitur, Rom:6. ita hanc præcipuè cõtaminat, quæ ad Ecclesiam in æternũ propagandã homini attributa est, et quò purior fuisset in natura integra, & quò dignior nunc

quoq;

quoq; est admiratione in natura corrupta, eò magis à Diabolo impuro & libidinoso Spiritu omni fœditatis & turpitudinis genere horribiliter & miserè deformatur.

Postea Cinctorium Sacerdotes de gratia Dei & de fide monuit, quæ est altera pars pœnitentiæ. Deus enim partem illam corporis circumcidi voluit, vt hic circumcisionis ritus, non de immunditie tantùm naturæ, quæ præcidenda esset, sed etiam de fœdere Dei cum Abrahamo, ipsiúsque posteris inito, de Semine, per quod omnes gentes essent benedicendæ, & de promissione gratiæ Dei vniuersa, propter illud Semen benedictum, quam Abraham pater omnium credentium fide sibi applicans, iustus coram Deo reputatus est, Gen: 15. Rom. 4. Gal. 3. posteros Abrahæ admoneret. Quoties igitur Sacerdotes Cinctorium sibi applicarent, Circumcisionis recordati sunt, quæ erat signum fœderis cum Deo, Gen: 17. 1. Sam. 17. Syrac: 44. Seminis promissi seu Mesiæ, qui fœderis autor, et mediator erat promissionis

Cinctorium gratiæ Dei & fidei concio.

gratiæ propter illud Semen & propter Messiæ sacrificium, deniq; fidei, qua promissionem sibi applicantes, coram Deo iustificati & non secundum carnem solam, sed secundum fidem filij & hæredes Abrahæ fuerunt, cuius iustitiæ & fidei sigillum erat Circumcisio, Rom: 4.

Cinctorium nouæ obedientię concio.

Cinctorium denique Sacerdotes de ea Nouæ obedientiæ parte, quæ est conformitatis τοῦ ἐπιθυμητικοῦ *& potentiæ infimæ cum Lege Dei incoatio, & peccati in hac carnis parte reliqui mortificatio, admonuit.*

Luxuria & Gula peccata verè mortalia.

Pontificij inter septem peccata mortalia, Luxuriam & Gulam numerant, Etsi autem in præsentia, neque de vocabulis, neque de ipsa Pontificiorum doctrina disputo: certum tamen est & experientia nimis vera comprobatum, Intemperantiam & Libidines esse homini caussas mortis, animalis & æternæ non postremas, & non solùm iram Dei concitare, qui pœnis tristissimis tam huius quàm futuri seculi, nisi fiat conuersio, in vtrunque vitium

ani-

animaduertit, verùm etiam δίαιταν φυσικὴν vniuersam abolendo, & calidum humidúmque primigenium elidendo mortem & fatum præmaturum attrahere. Sicut autem Auaritia & Luxus alimenta quasi vicaria sibi præbent, Ouidio in Fastis teste, ita Intemperantia & Libido mutuas operas tradunt: Nam Venus in vinis, ignis in igne furit, & quòd Venus sine Cerere & Libero frigeat, Comicus autor est. Sed hisce duobus verè mortem corporis & animæ maturantibus vitijs, Crapulæ, & Luxui aduersantur Temperantia, Sobrietas, Σωφροσύνη, Parsimonia, Frugalitas, Castitas, quæ & ipsæ sese mutuò fouent & nutriunt. De harum igitur virtutum studio, & de vitijs contrarijs cauendis, Sacerdotes Cinctorio sunt admoniti, quæ est tertia pars pœnitentiæ.

Virtutes Luxuriæ & Gulæ contrariæ.

Etsi autem hæ virtutes omnibus hominibus necessariæ sunt, præcipuè tamen Sacerdotes facem earũ cæteris præferre, & ne cõscientiam libidine portentosa pollueret, summoperè cauere Deus voluit, quòd hac

Sacerdotes his virtutibus excellere debent.

ormi-

enormiter polluti, cultus ipsi gratos præstare nequeant. Atque hæc caussa à Mose allegatur, qui, Tegant, inquit, carnem turpitudinis suæ, ne moriantur, & congruit Lex Leuit: 21. quæ coniugium castum & honestum Sacerdotibus præcipit, id quod obiter, & quasi παρέργως *contra impurum Pontificiorum cælibatum notatu dignū est, qui hac Lege contemta Religiosos suos, quos malè spirituales nominant, cùm sint carnalissimi, vt de re turpi barbarè loquar, à Coniugio cum iactura salutis æternæ arcent.*

Coniugium Sacerdotum.

Zona seu baltheus fuit ornamentum medij ventris, qui supra diaphragma circumscriptus πλευρὰς *continet organa, & sedes est eius potentiæ, quæ à Platone* θυμοειδὴς, *ab Aristotele* ὀρεκτικὴ *appellatur. Cor enim membrum huius ventris primarium est fons & sedes affectuum. Quare Zona quoque fuit Sacerdotibus concio pœnitentiæ. Primùm enim ipsos de puritate Cordis, & de harmonia potentiæ cognoscentis & appetentis dulcissima tàm inter sese, quàm cum Lege Dei ante lapsum, postea de horribili affectuum contumacia contra*

Zonæ seu balthei allegoria.

Zona concio pœnitentiæ & contritionis.

Legem Dei & rectum mentis iudicium furenter ruente, & de prauitate cordis, quæ lapsum secuta est, & de qua tristes extant querelæ Gen. 8. Ierem. 17. Matth. 15. Applicatio Zonæ de fide; quæ est fiducia cordis auro preciosior 1. Pet. 1. & quæ hominum corda purificans, Act. 15: iustitiam Christi resipiscentibus circum circa totam applicat: Situs in pectore de ea nouæ obedientiæ parte, quæ in affectibus bonis moderandis, malisque reprimendis, & in cæteris virtutibus Ethicis consistit, vt sunt Iustitia, Humanitas, Humilitas, Modestia, Mansuetudo, Misericordia & similes: Varietas colorum de donis Spiritus Sancti varijs, qui in cordibus piorum habitans & spiritibus tàm animalibus quàm vitalibus sese miscens, eosdem temperando lucidiores, nobiliores, puriores, atq; ad operas spirituales idoneos reddit, quæ dona quanquam varia sunt, vt à D. Paulo 1. Cor. 12. Ephes. 4. recensentur, ab vno tamen eodémque Spiritu orta, Zonæ instar in orbem redeunt, & corpus Ecclesiæ,

Zona fidei concio.

Zona nouæ obedientiæ concio.

Zona in orbem redeuns.

quod & ipsum est vnum, fouent & sub capite suo Christo in vnitate fidei & bonorum operum continent: Byssus Zonæ materia seu stamen & appellatio Balthei de ingenti lucta & certamine in affectibus moderandis reprimendisque, cùm seipsum vincere gloriosum quidem sit, apprimè tamen operosum & arduum, eósque qui magna laude hostes, magnâque animi constantia res aduersas superassent, non rarò à sui ipsorum animi impetu & fortuna secunda euersos esse, non solùm versus: At vindicta bonum vita iucundius ipsa; Luxuriant animi rebus plerunque secundis, Nec facile est æqua commoda mente pati: Verùm etiam Achillis, ad quem Bryseis frustra scribit: Vince animos iramq; tuam, qui cætera vincis: Saulis, qui gloriæ Dauidis inuidens, æmulationi & suspicionibus iniustis succubuit: Dauidis, qui cùm rebus aduersis euerti non potuisset, fortuna fauente libidini indulget, aliaq; experientiæ quotidianæ infinita exempla comprobent: Deniq; quod

Zona byssina.

ad

ad operas accessuri sacras, baltheum à pectore dependentem, in humeros reycerent, virtutes Sanctorum suam inter homines laudem & admirationem mereri, sed quoties cum Deo agendum sit, afferri eas, ipsiusq; iudicio opponi non posse: De his inquam omnibus Zona seu baltheus Sacerdotes, quoties sese cingerent, admonuit.

Mitra capitis ornamentum fuit seu supremi ventris, qui Cranio circumscriptus continet organa, & sedes est eius potentiæ, quæ à Platone ἡγεμονικὴ *dicta* τὴν λογιστικὴν *& ministram huius* αἰσθητικὴν*, ut Aristoteles numerat, sub sese complectitur, quam potentiam virtutes* διανοητικαὶ*, tùm theoricæ,* Σοφία καὶ Νοῦς*; hoc est, Sapientia & Intelligentia, tùm practicæ,* φρόνησις ἢ τέχνη*, hoc est, Prudentia & Ars informant & perficiunt. Quare quoties mitram Sacerdotes capiti imponerent, primùm de Imagine Dei, de luce & sapientia perfecta in mente hominis ante lapsum, & de tristissima ca-*

Allegoria Mitræ.

Mitra concio pœnitentiæ.

ligine quæ lapsum secuta est, postea de fide, quæ est notitia & noua lux in mente per Spiritum Sanctum accensa, denique de ea nouæ obedientiæ parte, quæ in cultura ingenij & studio virtutum intellectualium consistit, & de omnibus, quæ ingenium & sensus hebetarent, studijq́; diligentiam impedirent, cauendis admoniti sunt. Commendatæ enim erant Sacerdotibus præcipuæ in Ecclesia, politia & vita vniuersa functiones & officia, vt doctrinam conseruarent & ad posteros puram propagarent, Malach. 2. vt caussas dubias deciderent, Deut. 17. vt Templi, fisci & vasorum sacrorum curam gererent, & ritus sacros harmonia Musica augustiores redderent, 1. Paral. 25. & sequentibus, vt lepram & alios morbos dijudicarent, Leuit. 13. & sequentibus, vt sacrificia cæterosq́; ritus Mosaicos ritè, & vt D. Paulus loquitur, 2. Timoth. 2. ὀρθοτομοῦντες administrarent, Leuit. 1. & sequentibus. Hæc verò omnia, cùm neq; sine sapientia eximia intelligere, neq; sine pru-

Officia Sacerdotum.

dentia

dentia & arte singulari peragere possent, ingenij vigore, iudicij acumine, studij diligentia, & in omnibus, quæ ingenium affligerent, declinandis, prudentia & circumspectione ipsis opus erat. Et congruit præceptum Leuit. 10. Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis, ne moriamini, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, & doceatis filios Israel omnia mea legitima. Erat autem mitra sursum eleuata, quia donis ingenij ad gloriam Dei 1. Cor. 10. vtendum est, & erat byssina, quia sine sudore & labore arduo nec ingenium excolitur, nec eruditio acquiritur aut retinetur, & ad vsum donorum ingenij candor requiritur Sophisticæ & Sycophanticæ contrarius. Sed eadem alio erat operta velamine, ne circa sacrificia laboranti corrueret, quia ratio humana in diuinis cæca est, ideoque in obsequium Christi captiua ducenda, 2. Cor. 10. sine quo velamine cùm diuinis intempestiuè sese ingerit, à Spiritu Sancto non suffulta corruit.

Temperantia Sacerdotibus præcepta.

Mitra cur sursum eleuata.

Mitra velamine cur operta.

Dictum



Ornatus summi Sacerdotis proprius.

Dictum est hactenus & rudi Minerua declaratum, quid vestitus omnibus communis Sacerdotibus significarit, & quid ipsos monuerit: Nunc series Orationis postulat, vt de ornatu summi Sacerdotis proprio dicam, quoties ad muneris sui operas accederet. Etsi autem alij alias hoc loco allegorias non sine ingenij & pietatis laude quærunt, quas magnifacio, & propter autorem Spiritum Sanctum admiror & veneror: Cùm tamen sua cuique mensura Spiritus concessa sit, Ephes: 4. qui pro beneplacito suo varia in Sanctis dona operatur, 1. Cor. 12. & ludus ingenij humani in allegorijs inueniendis sit liberrimus, non modò veniam, sed suam quoque laudem merebitur, qui in allegorijs inuestigandis ita suam à cæteris sententiam seiunxerit, vt fidei orthodoxæ sit ἀνάλογος, *Rom: 12. Propheta enim qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem Domini, loquatur eum verè, Ierem: 23. Quisquis enim loquitur, sermones Dei loquatur, 1 Pet: 4. Sed redeo ad propositum.*

Iudicium in allegorijs librum.

Prima

Prima inter vestes Summi Sacerdotis proprias erat Tunica hyacinthina, vocationis ad Sacerdotij munus legitimæ atq; ordinariæ symbolum. Qui enim in aliquo sunt eximio vitæ vel officij genere, hi non in quotidiana tantùm conuersatione, sed tum præcipuè, cùm in ipso muneris sui actu versantur, peculiari ornatu & habitu vti, atq; à cæteris hominibus distingui solent. Hac igitur tunica quoties indueretur Sacerdos, non de vocatione tantùm legitima, & dignitate muneris sui, quod mandato Dei gereret, sed etiam de singulis eiusdem partibus & de modo gerendi, ac medijs quæ ad id rectè gerendum requiruntur, admonitus est, sicut miles πανοπλίαν induens, non ad pompam nuptialem, sed ad labores prælij acerrimos sese accingi, & strenuè pugnando vel vincendum vel pulcram per vulnera mortem oppetendam sibi esse cogitat. Tunica autem erat talaris, quia vnaquæq; vocatio & in primis Ecclesiastica totum requirit hominem, & vni functioni vnius

Tunica hyacintina.

Tunica' cus talaris.

homo

homo vix sufficit, ideoq; πολυπραγμοσύνην, quæ arroganter & ambitiosè alienis sese ingerit, vel multa simul suscipit, non tantum vires ingenij hebetare & distrahere, sed etiam infelicem esse, tùm experientia communis, tùm scripturæ dicta testantur, quæ hoc vitium improbant: Petrus enim ἀλλοτριοεπισκόπους esse vetat, 1. Pet. 4. & Syracides cap. 3. Quæ tibi, inquit, mandata sunt, semper cogita, & Paulus 1. Theß. 4. In hoc sitis ambitiosi, vt propria faciatis. Atque hanc ob caussam Sacerdotibus, quod doctrinæ & cultuum diuinorum curam gererent; certi reditus attributi erāt, ne victus caussa vel doctrinæ studium abijcere, vel aliena à vocatione sua tractare cogerentur, id quod hoc loco obiter tùm contra Pontificem, qui ex πολυπραγμοσύνης & superbia, vtrumq; gladium sibi arrogat, tùm contra Theologos istos, qui vnum in curia, & alterum in templo pedem, more Cleoneo, vel stiuam frequentiùs, quàm librum manibus habere solent, notatu dignū est. De fimbria tunicæ hyacinthinæ pendebant

debant

debant tintinnabula aurea, quorum sonitus non tantùm piæ deuotionis populum, sed etiam puræ doctrinæ, quam sonare & sartam tectam populo ac posteritati tradere debebat, diligentiæ item & fidei in officio suo Sacerdotem admonuit, ne, vt Moses inquit, moreretur, quia Deus ministris ignauis, vt canibus mutis, tristes pœnas minatur, Ies: 56. Ierem: 23. Ezech. 33. & 34. Malogranata tintinnabulis per vices inserta, perpetuam Ministerij doctrinam puram sonantis copulationem cum sponsa Christi Ecclesia, cuius genas Salomon fragmini mali punici seu granati comparat, Cant. 4. vel effectum puræ doctrinæ præcipuũ repræsentarunt, quemadmodum enim vinum mali punici æstus corporis febriles, ita pura doctrina æstus peccati & iræ Dei restinguit, Ies. 4. 25. 49. Ierem. 17. Ps. 121. Malogranata.

Venio ad Ephod seu Epomidem siue superhumerale, cuius vsus erat, vt iniectũ humeris tunicã hyacinthinam cõstringeret et corpori applicaret eo tẽpore, quo summus Sacerdos vel sacrificia perageret vel oracula redde- Allegoria Epomidis.

Materia Epomidis discolor.

redderet. Quare discolor Epomidis materia de varijs Spiritus Sancti donis, tùm ad doctrinæ & cultuum tractationem, tùm ad vitæ vniuersæ gubernationem necessarijs,

Forma Epomidis τετράγωνος.

forma verò τετράγωνος *de excellenti & perfecto donorum gradu, quo cæteris hominibus antecellere, et ceu facem præferre, omnium oculos in sese conuertere, & admirationem sui parere debebat, Summum Sacerdotem admonuit.*

Quinque filorum genera. Quinque virtutes διανοητικαὶ

Quemadmodum autem Epomis ex quinq; filorum generibus contexta erat: ita quinq; erant virtutes διανοητικαὶ *seu Intellectuales, quibus animum ipsius atq; ingenium excultum esse oportebat.* ἐπιστήμη *seu scientia solidaq; & ex fontibus Israel hausta doctrinæ cœlestis cognitio.* νοῦς *seu Intelligentia, & de rebus dubijs* δύναμις στοχαστικὴ *seu coniectandi vis: & veri ac falsi, boni maliq; discretio:* σοφία *seu sapientia & notitia certa atq; iudicium de omnibus dictis & factis, tàm diuinis quā humanis, quæ officij sui propria erant, limatum, omnibusq; absolutum numeris:* φρόνησις *seu prudentia & sagax*

animi

animi in agendo & vniuersa conuersatione circumspectio, denique τέχνη ἐν τῷ διδάσκειν καὶ ὀρθοτομεῖν, seu Ars & longo vsu acquisita tàm verbum quàm cultus diuinos tractandi ratio & exercitatio. Quinque etiam virtutes erant ἠθικαὶ seu morales, quibus excultum ipsum esse oportuit, Pietas religiosa & vitæ vniuersæ integritas, cum doctrina, quam sonaret, congruens, zelus pro gloria Dei & veritate doctrinæ diuinus, & cum fide, diligentia & studio rectè faciendi officium coniunctus, celsitudo & constantia animi, odia hominum & pericula officium comitantia patienter ac fortiter superantis, humilitas infra cæteros sese demittens, sed coniuncta cum grauitate, ne contemtum pareret, denique humanitas coniuncta cum candore. Hæ igitur vtriusque generis virtutes, quæ partim officium & doctrinam, partim vitam Sacerdotis vniuersam spectabant, in cæteris Sacerdotibus mediocres, sed in summo excellentes esse atque ad summum perfectionis gradum quàm proximè accedere debebant.

Quinque virtutes ἠθικαί.

Duo Onyches.

*Onyches gemini humeris summi Sa-
cerdotis infixi vel duorum Sacramento-
rum Circumcisionis & Agni Paschalis, qui-
bus hic populus ceu tesseris à reliquis gen-
tibus distinctus erat, vel rectius Ecclesiæ,
quæ verbo & duobus illis Sacramentis ceu
fibulis consociata erat, & cuius cura in-
cumbebat summo Sacerdoti, symbola erant.
Fortaßis etiam gemini Onyches vtranq;
Ecclesiam repræsentarunt, Iudæorum vnã
& alteram Gentium, quæ in veteri Te-
stamento particularis & ex viris religio-
sis ac Proselythis collecta erat, sicut in nouo
Catholica esse cepit. Quemadmodum au-*

Onyches splendentes.

*tem Onyches, Deo sacrificia approbante,
splendorem edebant eximium, tametsi ille
gemmis per se non inesset: Ita Ecclesia à
Mundo quidem & filijs huius seculi sper-
nitur: In Mundo tamen inter varias æ-
rumnas splendet & ceu palma contra cru-
cem assurgens emicat, nam & Deo curæ
est & inermis ipsa, Dei tamen prouiden-
tia miranda defenditur, & non tantùm
sacrificia & cultus ipsius, vt fides, spes,
dile-*

dilectio, inuocatio, patientia, & varia pœnitentiæ exercitia Deo placent. Pſ. 51. Ieſa. 66. ſed etiam bona ipſius opera coram hominibus lucent, & gloriæ Dei illuſtrandæ ſeruiunt, Matth. 5. 1. Cor. 10.

Logion ſe Rationale.

Logion ſeu Rationale, quo ſummus Sacerdos oracula reddere ſolebat, doctrinæ ſymbolum fuit. Situs. *Huius in pectore ſitus Sacerdotem de amore verbi, ſeriáque & fideli eius conſeruandi propagandíque cura & ſtudio: Nomen tetragrammaton gemmis ſubſcriptum de autore doctrinæ, in hoc populo ſonantis, ſolo Deo, de præſentia ipſius in peculio ſuo, & de diuina per miniſterium Sacerdotis efficacia:* Figura quadrata. *Figura quadrata de corpore doctrinæ omnibus abſoluto numeris:* Structura. *Structura duplicata de vtraq; doctrinæ parte, nimirum Lege & promiſſione gratiæ:* Nomina Patrum gemmis inſcripta. *Nomina denique Patrum ſingulis inſcripta gemmis de Eccleſia, quæ columna eſt veritatis & doctrinæ cuſtos, monuit.* Vrim & Thummim. *Erant autē in pectorali Vrim & Thumim, quia cùm reliqua pars generis*

humani in tenebris & vmbra mortis sederet, Ies. 9. & 60. Luc. 1. & præstigijs oraculorum Diaboli fascinata, qui mendax est & homicida, Ioh. 8. à vero Deo aberraret, & captiua tristem sub ipsius tyrannide seruitutem seruiret, Ies: 49. Act. 26. Ephes: 2. doctrina in hoc solo sonans populo erat lux à Deo accensa, Ps: 147 essentiam & voluntatem ipsius monstrans, cui promissiones & minæ erant additæ, Exo: 20. Leuit: 27. Deut: 28. quæ non erant inanis sonus, sed immota Dei veritas, Deo ipso, quicquid boni aut mali peculio suo vel hostibus prædixisset, potenter exequente.

Duodecim gemmæ.

Duodecim Logij gemmæ non temerè coacervatæ sunt, sed varias doctrinæ diuinitùs patefactæ, Legis nimirum & promissionis gratiæ, vires, proprietates & effectus repræsentarunt. Sardius. *Sardius, vt Physici scribunt, accendit animum ad gaudium, & acuit ingenium. Lex enim Domini immaculata, recreans animas. Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, Psal: 19. Et, Testimonia tua*

gaudium

gaudium meum, & viri conſiliarij mei, Pſal: 119. & patres miſeria ſua ex Lege Dei agnita, cùm gratiam promiſſam fide apprehenderent, iuſtificati coram Deo & noua luce & lætitia perfuſi ſunt. Sic Abraham pater omnium credentium, Rom: 4. cùm Deo crederet, iuſtus reputatus, Gen: 15. & cùm diem Chriſti videret, lætatus eſt, Ioh. 8.

Topazium ſi quis in aquam immittat bullientem, ſine læſione manum immiſſam retrahit, quia Patres ſeſe propter peccatum iræ Dei bullienti, morti & omnis generis ærumnis immerſos, & iuſto Legis iudicio, ceu grandi mole obrutos, Pſal: 38. eſſe, ſed ſi promiſſioni gratiæ crederent, incolumes emergere certò ſtatuerunt, iuxta promiſſionem Ieſ: 43. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te, quia ego Dominus Deus tuus, ſanctus Iſrael, ſaluator tuus. Topazius vulneri impoſitus, fluxum ſanguinis ſiſtit. Si quis enim in Veteri Teſtamento ſagittis Dei ſaucius eſſet, ipſiúſque vulnera pu- Topazius.

trescerent & corrupta essent propter insipientiam, Ps: 38. vel peccata essent, vt coccinum, & rubra quasi vermiculus, Iesa: 1. & victimæ promissæ meritum suis applicaret vulneribus, niuis instar vel lanæ dealbatum ea & liuore Messiæ se sanatum iri, ex verbo Dei firmiter statuit, Ies: 1. & 53. Si Topazius supra rem bullientem suspendatur, bullæ cessant, & idem Veneris ardorem & iram restinguit, quia verbo Dei humilitas, mansuetudo, humanitas, castitas & aliæ virtutes sanciuntur, quæ bullas superbiæ & æstus irarum ac libidinis reprimunt.

Smaragdus. Smaragdus prodest contra venena, lepram, epilepsiam, morbum comitialem. Quare Sacerdotes huius gemmæ monitu agnouerunt, verbum Dei esse antidoton contra venenum Diaboli, contra lepram animæ, quod est peccatum originis, & contra peccata actualia, in quæ non mensibus aut diebus, sed momentis singulis præcipites ruimus. Semen enim erat promissum

missum primis Parentibus, quod aliquando caput serpentis contereret, Gen: 3. & diligens Legis diuinæ obseruatio seuerè erat præcepta, ne plagam lepræ incurrerent, Deut: 24. & Dauid exemplo suo pios hortatur, vt vias Domini custodiant, nec impiè gerant à Deo suo, sed omnia eius iudicia in conspectu habeant, & iustitias eius à se non repellant, Ps: 18.

Smaragdus visum confortat & incolumem conseruat. Præceptum enim Domini lucidum, illuminans oculos, Ps: 19. Smaragdus aduersatur libidini, ideo in coitu frangitur. Quia casta Deus mens est, casta vult mente vocari. Et castas iussit pondus habere preces: & libidine pietatem ac preces impediri & libidinosos Smaragdum, hoc est, lucem verbi in vocatione, totóque vitæ cursu præuiam amittere, Spiritum Sanctum ducem excutere, gratia Dei excidere, & cæcitate, erroribus mentis in consilijs, vocatione & vita vniuersa, alijsq; tragicis malis puniri, non tantùm Sodomitarum, Beniamitarum, Dauidis,

ſed etiam experientiæ communis exempla comprobant. Gryphes denique commoda Smaragdi inuidentes hominibus, magna hanc gemmam crudelitate tuentur. Quia Diabolus ſalutem inuidens hominibus, verbum deprauat, & cùm poteſt, eis eripit. Sacerdotes igitur puritatem verbi cō-tra Diabolum & Pſeudoprophetas, cæteróſque Doctores impios, Diaboli organa, ſi corruptelas verbi ſpargerent, magno Spiritus impetu magnáque ſtudij aſsiduitate ſartam tectam ſibi conſeruandam & vindicandam eſſe, ex huius gemmæ intuitu agnoſcebant.

Carbunculus.

Carbunculus gemma eſt omnium precioſiſsima, omniúmque cæterarum virtutibus prædita, colore igneo, & nocte magis quàm die lucet, quia die obſcuratur, ſed nocte ita lucet, vt eam circa ſeſe quaſi in diem conuertat. Has proprietates verbo Dei competere, fulgor huius gemmæ Sacerdotes monuit, earúmque conſideratio hæc dicta dulciſsima peperit, Pſ: 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum,

& lumen semitis meis, Mich. 7. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Ps: 18. Dominus illuminat tenebras meas, Iesa: 60. Illuminare Hierusalem, quia venit lux tua, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Etsi enim lux quædam mentibus hominum est congenita, quam industria humana excitauit & corpus Philosophiæ extruxit: nocti tamen & tenebris similior ea est, quàm luci, si cum fulgore verbi diuini conferatur, imò nox ipsa est, nisi hoc carbunculo illustrata fuerit. Qemadmodum autem vel carbunculus diei, vel aurora Soli cedit, ita Mosen Christo, ministrum Domino, & Carbunculum verbi in hac vita lucentem splendori lucis æternæ in futuro seculo cedere oportere, hæc gemma monuit. Nam & Moses alium Prophetam, qui venturus sit, perinde vt sese audiendum, & Deum ipsum, si quis audire contemnat, vltorem fore prædicit, Deut: 18. & Petrus: Ha-

 bemus,

bemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, 2. Pet. 1. Cùm enim hæc die in finali destructione Mundi illuxerit, Carbunculus verbi obscurabitur, & Dominus ipse erit in lucem sempiternam, Ies: 60. Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 15. cùm Deus erit omnia in omnibus.

Sapphirus. Sapphirus anthraces curat, qui inter vlcera desperata numerantur: Prodest contra fraudes, inuidiam & terrores, educit vinctos carcere, pacem conciliat. Has Sapphiri vires verbo Dei congruere, dicta testantur, Ierem: 30. Insanabilis est dolor tuus, sed ego à vulneribus tuis sanabo te, Ps: 18. Laudans inuocabo Dominum & ab inimicis meis saluus ero, Ps: 118. Dominus mecum, nō timebo, quid faceret mihi homo. Dominus mecum & adiutor meus, & ego gaudebo de osoribus meis. Ps: 119. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato

dato tuo, Ps: 27. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Ps: 107. Dominus contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, Ps: 146. Dominus soluit compeditos. Hanc denique Sapphirum Abraham & omnes posteri ipsius γνήσιοι, Ioh. 8. Rom. 4. & 9. fide apprehendentes, coram Deo iustificati, verè liberati, in fœdus commune recepti, & amici Dei facti, pacem erga Deum habuerunt, Gen: 15. & 17. Iudith. 8. Rom 5.

Adamas nec igne nec ferro frangitur, ideoque eo vtuntur, qui rebus durissimis literas inscribere vel imagines insculpere volunt: Prodest contra insaniam, bestias indomitas, iurgia, rixas, venena, phantasmatum incursus, &c. Sic verbo Dei ceu Adamante tres viri in fornace Babylonica contra violentiam ignis præseruati sunt, Dan: 3. Verbo Dei populus Israel munitus, ferro hostium suorum superari non potuit, Iudith. 5. Adamas.

Verbo

Verbo Dei durities cordis humani mollitur, quia est malleus petras comminuens, Ierem: 23. & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, Heb: 4. Verbum Dei stultos ad mentem saniorem reuocat, Pro: 9. Verbum Dei contra furores Diabolorum ac Tyrannorum, & contra fraudes Hæreticorum tutum est & tutos reddit, denique contra verbum Dei & Ecclesiam portæ inferorum præualere nequeunt, Matth: 16.

Lyncurius.

Lyncurius ex vrina Lyncis nascitur, cuius gemmæ vsum animal istud hominibus inuidens vrinam terra obruit, sed hoc ipsò nihil aliud efficit, quàm vt gemma eò faciliùs concrescat & generosior fiat. Ad eundem modum, quo maioribus tenebris Diabolus verbum Dei inuoluere conatur, eò magis emergit, & velut argentum igne examinatum in vasè testaceo purgatum septies emicat, Ps: 12. Prodest Lyncurius vulneratis, quia ferrum ex vulnere extrahere scribitur.

Verbum Dei enim conscientiæ in ærumnis ex sensu iræ Dei & conspectu atrocitatis peccatorum sauciæ consolatione præsenti medetur, Ps: 119. Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quòd eloquium tuum viuificauit me, & nisi lex tua delectatio mea, tùm periyssem in afflictione mea. Ferunt ad Lyncurium omne ferarum genus, natura docente, quasi ad Patronum sponte concurrere, & à canibus ac venatoribus immune esse. Turris enim fortissima est nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & saluatur, Pro: 18. & de manu canum quibus circumdatus est, eruitur. Ps: 22 quia ad hoc signum Gentes confugiunt, Iesa: 11.

Achates prodest contra viperarum & scorpionum morsus. Quisquis enim verbum Dei amat, non solùm calumnias odit ipse, Ps: 101. sed etiam ab aliorum calumnys tutus est, Ps: 119. Achates prudentes, facundos, amabiles & gratos reddit. Quisquis enim præcepta Dei circundat gutturi suo, & describit in tabulis cordis Achates.

sui,

sui, hic gratiam & disciplinam bonam inuenit coram Deo & hominibus, Pro. 3. Rom. 14.

Amethystus

Amethystus ebrietati aduersatur, ideoque hominem reddit vigilantem, malas cogitationes pellit, intelligentiam acuit, contagium prohibet, & ab eodem infectos liberat. Hæc quis non videt verbo Dei competere? Moses enim Sacerdotibus præcipit, vt ebrietatem vitent, Leuit. 10. Salomon eius turpitudinem & incommoda exaggerat, Pro. 23. Iesaias in ebriosos duriter inuehitur, Ies: 5. & Paulus regno Dei ipsos excludit, 2. Cor. 5. & ebrietatem vitare iubet propter ἀσωτίαν, *quæ sequitur, Ephes: 5. Cogitationes malæ, Iob. 5. Ps: 94. Pro. 15. Ezech: 11. Zach: 8. Matth. 5. 9. & 15. commercia verò cum impijs, ne ipsorum contagio inficiamur, Deut. 7. 1. Cor: 5. & 15. 1. Pet: 4. improbantur & prohibentur, & virtutes hisce vitijs oppositæ,* Σωφροσύνη, *vigilantia, studij assiduitas, commercia piorum passim præcipiuntur.*

Chryso-

Chryſolithus prodeſt contra puſillanimitatem & metus melancholicos, pellit dæmonas, aduerſatur nocturnis pauoribus & moleſtijs interſomnijs, promouet ſapientiam & conſtantiam animi, ideoque à mercatoribus amatur, quòd ſolertiam excitet. Sic verbo Dei puſillanimes confortantur, 1. Theſſ: 5. conſternati eriguntur, Heb: 12. timidi confirmantur, cùm Deus non dederit nobis Spiritum timiditatis, ſed roboris, 2. Tim. 1. & congruunt exempla Abrahæ, Gen: 15. Iſaaci, Gen: 26. Iacobi 46. Moſis Exo. 14. Ioſuæ cap:1. & 7. Dauidis 1. Sam: 12. qui verbo Dei ex pauoribus liberati ſunt, & quanquam Diabolus circumit tanquam leo rugiens, & quærit quem deuoret 1. Pet. 5. fugit tamen ab ijs, qui fortes in fide reſiſtunt, Iac: 4. Veritas quoque Domini eſt ſcutum & clypeus ijs, qui in adiutorio Altiſſimi habitant, ne timeant à timore nocturno, Pſ:91. ſolo denique verbo prudentes reddi & ſolertes mercatores iſtos, qui margaritam hanc precioſam emunt, parabola teſtatur Matth. 13. Chryſolithus.

Onyx. Onyx gemma, ut Plinius refert, lib. 37. cap. 6. plurimas variásque cum lacteis Zonis habet venas, in omnium transitu colore inenarrabili & in unum redeunte concentum. Hac gemma vel harmoniam doctrinæ uniuersæ diuinitùs traditæ, vel concordiam docentium & discentium, quam Psalmus 133. magnificè commendat, adumbratam esse, quis non videt? Onyx aduersus Venerem pollere, & fastum animi alióśque affectus noxios arcere scribitur, quia verbum Dei libidini, superbiæ & alijs prauis cupiditatibus aduersatur.

Iaspis. Iaspis gemmarum ultima contra venenum prodest, aciem oculorum reficit, petulantem Venereorum appetentiam retundit, phantasmata pellit, quæ omnia verbo Dei competere, iam ostensum est. Peculiare huic gemmæ est, quod si quis Iaspidem inueniat viridem, cui crucis imago inest & secum gestet, in aquis non mergitur. Verbum Dei enim, quod est doctrina crucis Christi & nostræ, neque

limo

limo peccatorum nos immergi, neque tentationum impetu abripi, neque ærumnarum procellis obrui ſinit. Hac Iaſpide arca Noe inter aquas cataclyſmi vniuerſalis fluctuans, incolumis conſeruata eſt, Gen: 7. Hanc Iaſpidem ſecum geſtans populus Iſrael fluctus maris rubri ſuperauit, Exo: 14. & Iordanem tranſiit, Ioſ: 3. Eadem hac Iaſpide inſtructi, mare anguſtiæ in articulo vitæ noſtræ, duce Chriſto, ſuperabimus, Mich. 2. Zach: 10. & neque tempeſtas iræ Dei nos demergere, neque profundum inferni nos abſorbere, neque puteus æterni interitus os ſuum ſuper nos obſtruere poterit, Pſ: 69. Ioſephus vltimam gemmam Berillum appellat, quæ gemma doloribus oculorum medetur, contra ſegnitiem, & contra iniurias hoſtium pollet, ingenio prodeſt, & amorem inter Coniuges mutuum conciliat, quæ omnia verbi Dei fructus eſſe, ex prædictis patet. De his igitur & ſimilibus verbi diuinitùs in hoc populo patefacti proprietatibus & viribus, Sacerdotes intuitu & conſideratione gemmarum Berillus.

in Logio seu pectorali esse admonitos, minimè dubium est.

Catenulæ & annuli.

Catenulæ & annuli, quibus Logion seu Pectorale ad Onychas humerales supernè annexum erat, partim corpus doctrinæ, cuius omnes articuli catenæ instar sunt continua copulatiua, vt vnum ex eis impugnans totum labefactet ædificium, & in vno delinquens, sit reus omnium, Iac. 2: *partim perpetuam verbi & veræ Ecclesiæ copulationem, cuius signum infallibile est verbi puritas: Vitta verò hyacinthina, qua Logion infernè Epomidi alligatum erat, dilectionis vinculum, quo Spiritus Sanctus animos Ministrorum tàm inter sese, quàm cum cœtu auditorum vniuerso iuxta præceptum, Ps: 133. consociat, præfigurarunt.*

Vitta hyacinthina.

Splendor Logij cessauit.

Quod autem Iosephus scribit, splendorem in Logio cessasse ducentis ante sua tempora annis, cum prophanitate populi crescente, 1. Maccab. 2. & 2. Mac. 4. & Sectis exortis doctrina fermento Pharisæorum & Saducæorum, Matth: 16. corrumpi

rumpi cepit, indicio eſt, lucem verbi diuini opinionibus humanis paulatim obſcurari, donec ingratitudine & prophanitate hominum inualeſcente prorſus perditur.

Reſtant Zona & Mitra, ornamenta ſummi Sacerdotis propria, quarum illa virtutes ἠθικὰς, *hac* διανοητικὰς *eſſe repræſentatas, ſuprà dictum eſt: Vtraſque verò in ſummo Sacerdote quàm in cæteris tanto perfectiores eſſe oportebat, quanto ſplendidior maiorisq́ precij erat zonæ & mitræ illius, quam horum materia & compoſitio. Zona inſuper ſeu baltheus Sacerdotalis ad hunc factus vſum, vt Epomidem tunicæ hyacinthinæ exactè applicaret, Sacerdotem ſummum, ne munere ſuo ad dignitatem, affectus & commoda priuata, ſed ad gloriam Dei & ad communem Eccleſiæ ſalutem vteretur, de certaminibus item pro gloria Dei, pro ſalute Eccleſiæ, & pro veritate doctrinæ conſtanter & intrepidè obeundis ſuperandiſque:*

Zona & mitra Sacerdotalis.

Zona ſummi Sacerdotis.

Mitra summi Sacerdotis.

Mitra verò hyacinthina, quæ vt hodie, ita olim quoq; fuit ornamentum docentiū, monuit dona ingenij ad officij administrationē ita accommodanda esse, vt saluti Ecclesiæ quam semicirculus, & gloriæ Dei, quam lamina aurea repræsentabat, seruirēt. Lamina Lunam corniculatam referens imperfectionis donorum in hac vita erat symbolum, quæ studij ac precum aßiduitate & quotidianis pœnitentiæ exercitijs incrementa capere oporteret, iuxta dictum, Matth. 25. Habenti dabitur, donec orbem suum complerent in seculo futuro & vitæ cœlesti, quam cornua sursum conuersa præmonstrabant.

Semicirculus & lamina aurea.

Thuribulum.

Thuribulum denique, quo summus Sacerdos semel in anno Sanctum Sanctorum ingrediens, sed bis singulis reliquis anni diebus, nimirum manè & vesperi incensum adolebat, sacrificij per victimam venturam semel peragendi, & deinceps toto Mundi & vitæ tempore credentibus applicandi, perpetuæq; pro Ecclesia interceßionis, Heb: 10. Balsamum verò, quo perfundi

Balsamum.

perfundi solebat, Spiritus Sancti, qui Ministerium conseruat, & non tantùm in Ministris dona operatur, 1. Cor: 12. sed etiam in audientium cordibus est efficax, Act: 15. & unitate fidei totum Ecclesiæ corpus consociat, fuisse symbolum, partim ex historia Aaronis, qui stans inter viuos & mortuos, & incensum adolens Deum iratum placat, Num: 16. partim ex dictis, Ps: 45. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, Ies: 61. Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me, & alijs similibus cernitur.

Hoc igitur ornatu summus Veteris Testamenti Sacerdos instructus ad quatuor officij sui partes accedere solitus est. Quatuor summi Sacerdotis officia.

Primùm enim docebat populum, non noua tantùm proferens oracula ex decreto Dei arcano, & futura, dubia atque ambigua explicans & sciscitantibus respondens, sed etiam priora de essentia & voluntate Dei in doctrina Legis & promissionum iam prolata illustrans, sarta tecta custodiens, & ad posteritatem propagans. Num: 27. 1. Docere.

II. Sacrifi-care. *Deut: 17. Malach: 2. Poſtea ſacrificia pro populo offerebat, quæ vel ſtatis temporibus Deus offerre iuſſerat, vel quæ ſpontanea erant, quoties quenquã ex reliqua populi parte ad cultus diuinos ſua incitaret pietas, atque hæc erant vel ἱλαστικὰ, hoc eſt, propitiatoria & typi ſacrificij Chriſti: vel εὐχαριστικὰ, quibus Deo pro certis beneficijs gratiæ agebantur: vel δίδακτρα, quæ erant ſigna gratitudinis erga Miniſterium, eidemq́; conſeruando & Miniſtris*

III. Orare. *alendis ſeruiebant. Tertiò pijs pro populo & ardentibus intercedebat precibus vel continuis, quoties manè & veſperi incenſum adoleret, vel extra ſtata & ordinata tempora, ſi quando Deo irato tragicus ali-*

IV. Bene-dicere. *quis caſus accideret. Num: 16. Quartò deniq́; benedicebat populo, nõ pia tantùm pro populo vota & optiones faciens, vt Dei propitij gratiæ, quæ fons eſt & cauſſa omniũ animæ & corporis bonorum, participes fierent, ſed iam ea frui & participes eſſe factos aſſerens, & ipſius Dei mandato pronuncians, Leuit: 9. Num: 6. vbi formula*

benedi-

benedictionis certis concepta verbis legitur.

Habes Corona auditorum inclyta & augustißima duas Orationis meæ partes, quarum prior seriem & descriptionem vestitus & ornatus Sacerdotalis in Veteri Testamento, & altera quid idem significarit, quidve Sacerdotes monuerit, quantum fert tenuitatis virium mearum & temporis ratio, ostendit. Nunc series eorum, quæ initio proposui, & temporis angustia ad tertiam partem me vocant, & allegoriam quærere atq; ostendere iubent, quo modo typus ad veritatem, vmbra ad corpus, & vestes atq; ornamenta Sacerdotum in veteri, ad Filium Dei summum Sacerdotem in Nouo Testamento, Hebr. 5. & 8. & ad reliquos Christianos, quos ille Sacerdotes fecit, Apocal. 5. & quos D. Petrus hostias spirituales Deo per Christum acceptas offerre iubet, 1. Pet: 2. congruant. Sed & hic, cùm ingenij humani industria, pro mensura Spiritus vnicuique concessa in allegorijs sese mirificè oblectare, & iudicia

Transitus ad tertiam Orationis partem.

libera esse soleant, veniam, vt existimo, merebor, si, quæ dixero, sint ἀνάλογα fidei, iuxta Pauli præceptum, Rom: 12. tametsi ab aliorum sententijs aliquantum discrepent.

Vestitus Sacerdotalis Christi.

Etsi igitur aliqui duplicem summi Sacerdotis habitũ ad vtranq; in Filio Dei naturam accommodant, vt byßina diuinam, quæ interior est & sub humana latuit, hyacinthina verò humanam, quæ est exterior, omnium sensibus obuia, & quam Apostolus suis se vidisse oculis, suisq; contrectasse manibus, 1. Ioh: 1. affirmat, & quam λόγος in vnitatem Personæ suæ assumsit, Epomis verò dona, quæ Filius Dei non secundum mensuram, Ioh: 3. sed secundum plenitudinem Spiritus accepit, significent: ab analogia tamen fidei non videbor aberrare, si intra limites partitionis vestium Sacerdotalium in Veteri Testamento supra præfixos meipsum continens, quasdam vestes ad Personam, & quasdam ad officium Filij Dei referam.

Propositio sequentium.

Ex vestibus quæ ad Personam ipsius perti-

pertinent, prima est tunica talaris byssina & duplicata, quæ est natura Filij Dei humana, quia ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *& vnigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis Ioh: 1. in vnitatem Personæ suæ assumsit naturam humanam totam, quod ad corpus & animam attinet, sed omni bysso puriorem, atque ab omni peccati labe immunem. Etsi enim in vita vniuersa & præcipuè cum flagris, spinis & clauis laceratus esset, veste cruenta indutus est, quæ peccati & mortis erat, eam tamen non vt suam, sed vt nostram induit, vt nos eadem exutos, sua denuò indueret. Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis Deus peccatum fecit, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso, 2. Cor: 5. & ipse pro nobis maledictum factus est, vt nos à maledictione Legis redimeret: Habet Filius Dei suum quoq; cinctorium, baltheum, et mitram ex bysso, quæ est harmonia omnium potentiarum Animæ, voluntati Patris exactè conformium. Habet autem has vestes cum cæteris hominibus communes, non*

Tunica Christi byssina & duplicata.

Christi vestis cruenta.

Cinctorium baltheus & mitra Christi.

quales iam sunt, sed quales ante lapsum fuerunt, & in statu æternitatis futuri sunt.

Tunica Christi hyacinthina.

Ex vestibus Filij Dei proprijs & quæ ad ipsius officium pertinent, prima fuit hyacinthina, Vocationis & Ministerij symbolum, cuius fimbria tintinnabulis aureis & malis punicis seu granatis per vices ornata est. Vocatus enim ad summum æternumq; Noui Testamenti Sacerdotium, & iuramento confirmatus, Ps: 110. Sacri insuper baptismatis vnda initiatus, Spiritu Sancto vnctus & voce Patris cœlitus ordinatus, Matth: 3. Act: 10. doctrinam de essentia & voluntate Patris puram sonuit, sordibus Pharisaicis detersis Legi purum pristinúmque nitorem restituit, Matth: 5. 6. & 7. Euangelio ex sinu æterni Patris prolato, promissionem gratiæ factam Patribus illustrauit, & per vices, quas Euangelistæ eleganter describunt, doctrinam suam miraculis diuinis ceu sigillis subinde confirmauit, sanctitate vitæ morumq; grauitate ornauit, & efficacia in cordibus miri-

Tintinnabula & mala punica in tunica Christi.

mirifica obsignauit, quia verba vitæ habebat, Ioh: 6. & in labijs ipsius gratia erat diffusa Ps: 45. quam qui ex incredulis quoque saniores erant, plus quàm humanam admirarentur & suspicerent, quia docebat tanquam potestatem habens, Matth. 7. Vnde & Ministri à Synedrio ad ipsum prehendendum ablegati fatentur, quòd nemo vnquam sic locutus fuerit, vt homo iste, Ioh. 7. & Iosephus lib: 18. cap: 6. Fuit, inquit, eisdem temporibus Iesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum hominum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt.

Secunda vestis Ephod seu Ἐπωμὶς *est* Epomis Christi.
Filij Dei incarnatio, hanc ipsam ob caussam facta, vt officio Sacerdotis & Mediatoris fungi posset, & caussæ alibi recitantur, cur Mediatorem Dei & hominum, Deum & hominem esse oportuerit. Sicut autem aureum subtegmen cum stamine hyacinthino purpureo, coccineo & byssino non confusum,

sed

ſed opere Phrygio arctiſsimè ita unitum fuit, vt auguſtus auri ſplendor per cætera diuerſorum colorum fila refulgens oculos intuentium perſtringeret: Ita quanquam talis vnio eſt facta, vt λόγος & caro aſſumta ſint vnum ὑφιστάμενον, neutra tamen natura in alteram conuerſa eſt, neque eam abſorpſit, neque proprietates aboleuit, ſed λόγος omnes ſuas proprietates retinens naturam humanam perpetuò ſibi fœdere ita copulauit, vt ipſa quoque omnes ſuas proprietates, quas fila hyacinthina: omnes affectiones, quas purpurea: omnes infirmitates, quæ pœnæ erant, quas coccinea: ſed abſque peccato, id quod byſsina ſignificant, retinuerit, & nunc quoq; proprietates hominis retineat, tametſi infirmitates & paſsiones, peccati comites, exuit. Natura igitur diuina ſuſtentat humanam atque in ea tota & per eam totam & in terris fulſit & nunc lucet, & Chriſtus Deus & homo officium Sacerdotale, cùm in terris eſſet, perfecit, & nunc quoque perficit.

Duæ naturæ in Chriſto.

Geſtat

Gestat præterea Filius Dei geminos in humeris Onychas, in dextro Veteris & in sinistro Noui Testamenti Ecclesiam, quæ ministerio duodecim Apostolorum ex Iudæis & Gentibus collecta, Verbo & Sacramentis ceu duabus fibulis inter se consociatur, & ceu tesseris à reliqua generis humani colluuie discernitur. Filius Dei enim est Angelus ille, qui cum Mosi fuit in deserto, Act: 7. & populum Israel ex Aegypto eductum super alas aquilarum portauit, Exo. 19. Ipse est puer ille nobis natus, & Filius nobis datus, cuius imperium super humerum eius, Iesa: 9. Ipse est pastor ille bonus, qui ouem errantem quærit, inuentámque & humeris impositam ad ouile Ecclesiam suam reportat, Ezech: 34. Lu: 15.

Duo Onyches in humeris Christi.

Gestat Filius Dei in pectore λόγιον duplicatum, cui nomen τετραγράμματον subscriptum est, quia ipse Patris λόγος Euangelium omnibus ignotum creaturis, quod est æternum Trinitatis decretum de genere humano in peccatum lapso, in gratiam

Logion in pectore Christi.

gratiam propter Filium recipiendo, Ephes: 1. ex ſinu æterni Patris protulit, & per ipſum gratia & veritas facta eſt, Ioh: 1. Nemo enim nouit eſſentiam & voluntatem Patris, niſi Filius, & cui Filius reuelare voluerit. Matth. 11. Ioh. 6. & 14. & non tantùm ipſe, cùm Circumciſionis miniſter eſſet, Rom: 15. ad oues perditas domus Iſrael miſſus, Matth. 15. Euangelium de regno Dei Iudæis in Galilæa prædicauit, atque vt pœnitentiam agerent & Euangelio crederent, monuit, Mar. 1. ſed à mortuis rediuiuus, antequam maieſtatis ſuæ ſolium conſcenderet, Apoſtolos pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine ſuo inter omnes gentes prædicare iuſsit. Lu: 24. & per Euangelium Deus eſt in cordibus hominum efficax, quia eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1.

Duodecim gemmæ in Logio pectoris Chriſti.

Sunt in Logio pectoris Filij Dei duodecim gemmæ, ex quibus duodecim fundamenta nouæ Hierosolymæ Filij Dei ſponſæ ſunt extructa, Apocal: 21. Hoc

enim

enim lapide Sardio corda hominum ex doloribus mortis liberata, gaudium concipiunt, quod nemo ab eis tollere potest, Ioh: 16. Regnum Dei enim est iustitia, pax & gaudium per Spiritum Sanctum, Rom: 14. Hunc gestantes Sardium Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Christi contumeliam pati, Act: 5. & Paulus eodem instructus oblectatur, & sibi placet in infirmitaitbus suis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. 2. Cor. 12. Hic Sardius ingenium acuit. Etsi enim prædicatio Euangelij, est stultitia gentibus, vocatis tamen Iudæis & Græcis est Dei sapientia. 1. Cor. 1. & notitia Christi est iustitia nostra, Ies: 53. & vita æterna, Ioh: 17. & pij non tantùm simplices sunt vt columbæ, sed etiam prudentes vt serpentes, Matth. 10. Sardius.

Euangelium est Topazius illa, qua homo ab æstu iræ Dei immunis est; Vbi Topazius.

enim

enim abundauit delictum, superabundauit gratia, Rom: 5. & qui de hac aqua biberit, in æternum non sitiet, Ioh: 4. Euangelio fluxus sanguinis sistitur in muliere ægrota, Matth: 9. & vulnera semimortui sanantur, Lu: 10. Euangelium denique non solùm monstrat exemplum humilitatis perfectißimum, Filium Dei, qui mitis est & humilis corde, Matth: 11. & seipsum humiliauit, factus Patri obediens vsque ad mortem crucis, Philip: 2. sed etiam humiles efficit, ne quis vnum de pusillis istis, qui in Christum credunt, contemnat, Matth. 18. neminem, qui eiusdem fidei particeps est, 2. Pet: 1. damnet aut iudicet, Rom: 12. neque altum sapiat, sed humilibus consentiat, Rom: 12. nihil per contentionem aut inanem gloriam faciat, sed in humilitate cæteros sese superiores arbitretur, Philip: 2. & alter alteri præueniat honore, Rom: 12. Ad humilitatem denique pios hortatur, vt sub potenti Dei manu humiliati suo tempore exaltentur, quia Deus superbis resistit, sed humilibus dat gratiam, 1. Pet: 5.

Christus

Christus verbo suo ceu Smaragdo sanat lepram animæ & corporis, Matth: 8. Lu: 16. medetur morbo comitiali, Marc: 9. illuminat animæ & corporis oculos, Ps: 13. Iesa: 35. Lu: 18. Ioh: 9. Hæc Smaragdus libidini aduersatur. Qui enim sunt Christi, operibus tenebrarum abiectis, non in cubilibus & impudicitijs, sed vt filij lucis honestè, vt in die ambulant, Rom: 15. Ephes: 5. & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt, Gal: 5. Hanc denique Smaragdum Filius Dei contra gryphes Diabolos & horum organa, tyrannos & hæreticos potentia diuina tuetur. Smaragdus

Hic est Carbunculus ille, qui in Mundum veniens, & in tenebris lucens omnem hominem illuminat, Ioh: 1. quam lucem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ, Ioh: 8. Hæc lux in cordibus piorum per Spiritum Sanctum accensa lucet coram hominibus, qui bona ipsorum opera cernentes Patrem cælestem glorificant, Matth. 5. Carbunculus.

Hac Sapphiro vlcera peccati lethifera Sapphirus.

ſanantur, Ieſ: 53. terrores iræ Dei ſuperantur, quia non ampliùs ſub Lege ſumus, ſed ſub gratia Rom: 6. & pax inter Deum & hominem ſancita eſt, Rom: 5. Epheſ 2. quia ſumus dilecti in dilecto, Epheſ. 1.

Adamas. *Hunc Adamantem neque furores Diabolorum, neque crudelitas Tyrannorum, neque ϛροφαὶ hæreticorum frangere, nec portæ inferorum contra ipſum prævalere poſſunt, Matth. 16. Hoc Adamante Petrus cordibus auditorum ſuorum lapideis, qui mortis Filij Dei autores fuerant, motus pœnitentiæ inſculpit, vt tria millia ad fidem Chriſti prima ipſius concione conuertantur, Act: 2.*

Lyncurius. *Euangelium ceu Lyncurius, quò magis vi vel fraude Diaboli & armis Tyrannorũ in Eccleſia, vel petulantia Hæreticorum in Miniſterio, vel tentationum & ærumnarum mole in cordibus noſtris obruitur, eò purius & efficacius emicat & luci redditur. Cælum enim & terra prætereunt, ſed verba Filij Dei non prætereunt, Matth.*

Matth: 24. & quicquid ex Deo est, vi vel fraude Diaboli & hominum dissolui nequit, Act: 5. Virtusq; Christi in infirmitate nostra perficitur, 2. Cor: 12. Euangelio ceu Lyncurio sagittæ Dei irati conscientijs infixæ extrahuntur, Ps: 38. Iob. 6. Hoc remedium Nathan vulneribus Dauidis applicat: Transtulit, inquiens, Dominus peccatum tuum, 2. Sam: 12. Eodem Filius Dei medetur muliérculæ sauciæ in domo Simonis, Remittuntur, inquiens, tibi peccata tua, Fides tua saluam te fecit. Lu: 7. Eodem medetur Petro saucio, quem intuens per affectum, de lapsu, suâque pro ipso intercessione, ne fides eius deficeret, admonet, Lu: 22. Hac denique gemma contra venatores Diabolos, Ps: 91. contra canes Euangelion allatrantes, Matth. 7. Philip: 3. & Ecclesiam circundantes, Ps: 22. atq; inprimis contra Cerberum illum tricipitem, qui est conspectus peccati, sensus iræ Dei, & metus inferni, æternæq; damnationis, in agone mortis præmunire nos debemus.

Achates. Euangelio ceu Achate contra morsus Diaboli defendimur. Filius Dei enim in hoc apparuit, vt opera Diaboli destruat, 1. Ioh. 3. & quanquam venit princeps Mundi, tamen non habet in ipso quicquam, Ioh: 14. Facundi item & amabiles reddimur. Quia vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, inquit Filius Dei, Matth. 10. & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, Rom: 5. vt à dilectione Dei, quæ in Christo Iesu est, nihil nos separare posit. Rom: 8.

Amethystus. Hac Amethysto vera Σωφροσύνη & vigilantia sancitur & conseruatur. Nam & Filius Dei, ne corda nostra onerentur crapula & ebrietate, & vt omni tempore orantes vigilemus, præcipit, Lu: 21. & Paulus Rom: 13. 1. Cor. 5. Ephes: 5. intemperantiam prohibet, quòd ea sanitati mentis admodum infesta sit. Commercia denique cum Pharisæis & Saducæis Christus Apostolos cauere iubet, ne contagium noceat. Matth: 16. & Paulus Hæreticos post vnam atque alteram correptionem,

Tit: 3.

Tit. 3. vitari, & Iohannes, neque in domum recipi, neque salutari vult, 2. Ioh. 1. quòd sermo ipsorum vt cancer serpat, 2. Tim. 2.

Hac Chrysolitho pusillanimes confirmari, Filius Dei suo exemplo comprobat, qui fidem Apostolorum modicam & tantùm non extinctam excitat, auget, confirmat, Matth. 8. & 14. Lu: 17. Eadem quoque dæmones pelluntur, 1. Pet. 5. Iaco. 2. Chrysolithus.

Euangelio ceu Onyche concordia inter membra Ecclesiæ fouetur. Nam & Filius Dei mandat Apostolis, vt pacem inter se habeant, Mar. 9. atque vt vnum sint in ipso precatur, Ioh: 17. & Paulus harmonia membrorum corporis pios ad eius virtutis studium excitat, Rom: 12. 1. Cor: 12. & quàm necessaria sit vnitas Spiritus ostendit Gal: 5. Onyx.

Hanc gestantes Iaspidem sordibus peccati non immergimur, quia non sinit nos esse vacuos, sed subleuat, vt πολίτευμα cœleste intuentes, Philip: 3. vocationem & electionem nostram per bona opera Iaspis vel Berillus.

firmam faciamus, 2. Pet. 1. Hac Iaſpide Petrus ſuffultus ſuper aquas ambulat, eadémque abiecta mergitur, Matth. 14. Hanc deniq; Berillum Anania oculis Pauli applicante, ſquamæ cæcitatis & hypocriſeos Phariſaicæ decidunt, Act: 9. eadémque Paulus Epheſ: 5. & Petrus 1. Pet: 3. amorem inter coniuges mutuum conciliant.

Vrim & Thumim in pectore Chriſti.

Habet Filius Dei in hoc ſuo pectorali Vrim & Thumim, quæ quid fuerint, & qualia, Iohannes in Euangelio ſuo monſtrat, qui pectori Filij Dei accumbens, non more illo ruſtico, quem Pictores exprimunt, niſi quis ad triclinia veterum referre velit, ſed vnicè à Chriſto dilectus, Ioh: 13. & 21. vt conſobrinus ſecundum carnem, Matth: 20. multorúmque colloquiorum ſocius & ſecretorum præ cæteris Apoſtolis conſcius, & ideo perſonam & officium Filij Dei illuſtriùs quàm cæteri deſcribens, crebrò hiſce vtitur epithetis, quòd ſit Lux Mundi, Ioh: 8. & Veritas, Ioh. 14. Ipſe enim eſt Sol iuſtitiæ, Malach. 4. & omnes promiſsiones ſunt in ipſo Amen, 2. Cor: 1.

Euangelium Iohannis.

Zona

Zona insuper seu baltheo Sacerdotali Filius Dei cinctus est, quia iustitia est cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius, Iesa:11. & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt Gigas ad currendam viam, Ps: 19. muneris sui partes zelo diuino exequens, Ps. 69. Ioh: 2. & in continuo stans procinctu contra suum suorúmque & generis humani vniuersi hostem ἄσπονδον Diabolum, Gen. 3. Matth. 4. & de ipso triumphans, Ps: 110. Ephes: 4. Zona Christi Sacerdotalis.

Mitra denique hyacinthina seu Cidari Sacerdotali ornatus est, quia est λόγος Patris, Ioh. 1. & Doctor à Deo ad Ecclesiam missus, Ioh. 3. & factus nobis à Patre sapientia, 1. Cor. 1. & infixa est mitræ lamina aurea, eiq; inscriptũ Tetragrammaton, nomen illud ineffabile, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apoc: 19. Ipse enim est qui est, qui fuit & qui erit, Exo: 3. Ioh: 8. Apoc: 1. Ipse est Iehoua iustitia nostra, Iere: 23. & 33. Ipse est super omnia Deus benedictus Mitra Christi Sacerdotalis. Nomen tetragrammaton.

in ſecula, Rom: 9. & Deus ipſi nomen dedit, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, Philip: 2. Ipſe eſt Sol iuſtitiæ, Malach: 4. Lunam, hoc eſt, Eccleſiam luce ſua perfundens, & cùm caput eius ſit, omnia in omnibus Spiritu ſuo perficiens, Epheſ: 1. donec quæ corniculata erat & imperfecta in hac vita, totum orbem in futura compleat, eóque pleno luceat, vbi Deus ipſe in lucem ſempiternam, Ieſ: 60. & omnia in omnibus erit, 1. Cor: 15.

Quatuor partes officij Christi.

Hoc igitur ornatu Filius Dei, ſummus Noui Teſtamenti Sacerdos, indutus, & balſamo fragrante oleoq; lætitiæ, Spiritu Sancto vnctus, Pſ. 45. Ieſa: 61. Matth. 3. thuribulo aſſumto, quæ eſt ipſius ab æterno facta, ſemperq; durans & continua pro genere humano interceſsio, Rom. 8. Epheſ: 1. 1. Ioh: 2. & conſtans perpetuæ exauditionis fiducia, Ioh: 11. & 17. quatuor muneris ſui partes obijt, primùm docens Eccleſiam, partim ſortibus, quas Hypocritæ Legi diuinæ aſperſerant, deterſis, Matth. 5.

6. &

6. & 7. partim Euangelio ex sinu æterni Patris prolato, & promissionibus, quæ ad Patres factæ erant, illustratis, Ioh. 1. Rom. 1. Postea seipsum pro genere humano sanctificans, & Patri λύτρον offerens, Ioh. 17. Matth: 20. 1 Ioh: 2. Tertiò, pro eodem apud Patrem intercedens, Lu: 22. & 23. Ioh: 16. & 17. denique benedictionem afferens, Gen: 12. Gal: 3. Atque hæc est allegorica ornatus Sacerdotalis ad Filium Dei applicatio, non qualis pro materiæ dignitate esse debuit, sed qualis pro ingenij mei tenuitate & temporis angustia esse potuit.

Quoniam autem viri honesti tali vestitus quoq; externi genere vtuntur, qui personæ & officio ipsorum congruat, Filium Dei, cùm Iohanne in carcerem coniecto, ad insidias Herodis, Matth: 4. & contribulium suorum Nazareensium, Lu: 4. declinandas Capernaum concessisset, quæ vrbs Romanis parebat & præsidio ipsorum munita erat, & eius vrbis ciuis esset factus: tali etiam veste, quæ vel ad grauitatem Vestitus Christi.

Senatoriam, vel ad dignitatem Sacerdotalem proximè accederet, maiestatem personæ & autoritatem officio adderet, & non omni careret mysterio, visum esse, & per se pium est sentire & vero consentaneum. Gemina certè fuit, vt constat ex cap: Ioh. 19. exterior, quam milites inter se partiti, & interior inconsutilis, de qua sortiti sunt, iuxta Psalmi 22. vaticinium.

Prior allegoria vestium Christi secundum Pontificios.

Pontificij tale quærunt in vestitu Christi mysterium, vt exteriorem accommodent ad Scripturam, quam Hæretici lacerant, interiorem verò ad corpus Ecclesiæ, quod maneat integrum. Tolerari posset hæc allegoria, nisi tunica interiore Ecclesiam Romanam, quam ipsi perperàm nominant Catholicam, & militibus, qui exteriorem lacerant, Lutheranos aliósque, qui Pontifici Romano contradicendo concordiam, vt prætexunt, publicam multorum seculorum decursu sub vno capite Pontifice Romano conseruatam turbant, repræsentari fingerent. Vestitus Christi fortasse nihil significat, sed talis fuit, qui necessitati

seruiret, & loco illo ac tempore vsitatus esset: Si quid tamen significat, allegoria erit fidei ἀνάλογος, si ad personam & officium ipsius referatur. Alia allegoria vestium Christi. *Tunica enim inconsutilis, duas in ipsius persona naturas vnione hypostatica, sine vlla tàm essentiæ quàm proprietatum confusione in omnem æternitatem inseparabiliter copulatas, sed vestis exterior officium ipsius, cuius quatuor esse partes suprà ostensum est, repræsentant. Partitio verò & sortitio per milites facta perpetuam vtriusque articuli, de persona & officio Christi copulationem, quorum alterutro per hæreticos labefactato, vterque corruit, significant. Sed & Pontificiorum allegoria erit concinna, si gemina Christi vestis ad Ecclesiam & Scripturam accommodetur, quod in hisce solis Christus quæri debeat & inueniri possit, sicut fascijs inuolutum & in præsepi positum Pastores, Angelo monente, inueniunt, Lu: 2.* Allegoria Pontificiorum correcta. *Tunica enim inconsutilis Ecclesiam Catholicam, quæ est vnum corpus sub vno capite Chri-* Tunica inconsutilis interior.

sto,

sto, & vnus Spiritus, & cuius est vna fides, vnum baptisma, vna spes vocationis, & vnus Deus & pater omnium, Ephes: 4. significat. Estq́ hæc vestis interior, quia etsi cœtus vocatorum est visibilis, verè tamen electi ad vitam æternam, nec rationis, nec sensuum acie agnoscuntur, sed Deus solus nouit, qui sint eius, 2. Timoth: 2. Sicut enim Spiritus, vbi vult spirat, & vox eius auditur, sed vnde veniat aut quò vadat, sciri non potest: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu, Ioh: 3. Quemadmodum autē milites de tunica sortiuntur, ita inde vsque à Mundi initio agitata est hæc quæstio, & nunc quoque agitatur, quæ, & vbi sit vera Ecclesia, & hæc disceptatio multo constat sanguine, impijs titulum Ecclesiæ vi & ferro semper sibi vindicantibus. Tunica verò seu vestis exterior, ex quatuor composita partibus, doctrinam Euangelij libris quatuor Euangelistarum comprehensam, quos quadrigæ Ezechielis præfigurarunt, in quatuor Mundi plagas voce Ministerij spargendam significat. Quod verò

Vestis exterior.

hæc

hæc vestis à militibus in quatuor partes scinditur, significatum est, Scripturam vel opinionibus Pontificiorum in quatuor sensus, Literalem, Tropologicum, Allegoricum & Anagogicum, vel à quadruplici hostium genere, hypocritis, epicureis, neutralibus & tyrannis, vel totidem sectis Hæreticorum, qui vel de essentia, vel de voluntate, vel de beneficijs, vel de cultibus diuinis, qui item vel de persona Christi, & alij quidem de humana, alij de diuina natura, alij de officio ipsius Regio vel Sacerdotali errant, fœdè lacerandam esse.

Quemadmodum autem summus Veteris Testamenti Sacerdos iussu Dei, Leuit: 6. & 16. vestitum Sacerdotalem deposuit, suóque priuato indutus est, quoties operas ad officium suum non pertinentes tractaret, sed ad eadem accessurus recepit: Ita Filium Dei, quoties alienum opus faceret, vt opus suum operari posset, Iesa: 28. hac veste sua gemina, quæ ornatus Sacerdotalis symbolum erat, quater exutum esse, sed eandem ter, & vice quarta longè

Christus vestes suas quater exuit.



longè ſplendidiſsimam recepiſſe legimus, ſi quando ad aliquam ex quatuor muneris ſui partibus obeundam accederet. Veſtes ſuas primùm ad Iordanem exuit, cùm ab omni labe purus, ſacri tamen baptiſmatis vnda initiandus teſtaretur, ſe reatum generis humani vniuerſi in ſeſe recipere. Cœlitus autem balſamo Spiritus Sancti vnctus & voce Patris inauguratus, eiſdem receptis ad primam muneris ſui partem, ſeu docendi officium acceſsit, ſenſum Legi diuinæ genuinum, & ſpiritualem reſtituens, & doctrinam Euangelij paſsim ſpargens, & miraculis diuinis obſignans.

I. Ad Iordanem.

Poſtea veſtes ſuas depoſuit in vltima cœna, cùm forma ſerui ſumta, pedes diſcipulorum lauaret, Ioh: 13. eiſdémque receptis ad alteram acceſsit muneris ſui partem, intercedens pro Eccleſia, & de futuris eam præmonens, Ioh: 14. & tribus ſequentibus.

II. In cœna.

Tertiò, veſtibus ſuis ſpoliatus à militibus in Prætorio, & chlamyde coccinea in opprobrium Regni affectati, &

III. In prætorio.

postea ab aulicis Herodis, vt æmulo Regni stolido illuderent, veste alba indutus est, in præsagium regni ipsius per Orientem, vbi Reges bysso, & per Occidentem, vbi purpura vtebantur, propagandi, tametsi nec Pilatus nec Herodes hoc tantum mysterium intelligerent. His verò vestibus depositis, suísque receptis ad tertiam muneris sui partem accessit, cùm in montem Caluariæ productus, seipsum pro genere humano λύτρον *in ara crucis Patri obtulit.*

Hic igitur quartò & vltimò suis exutus vestibus, eisque inter milites sorte & partitione distractis, nudus quidem iudicio sensuum suspensus, & vermis verè coccineus fuit, Ps: 22. sed in conspectu Patris & omnium fidelium, in ipso crucis patibulo veste fuit indutus gemina, vna purpurea, quæ ipsius obedientia humilima, Philip: 2. & altera byssina, quæ ipsius innocentia fuit, Iesa: 53. 1. Pet: 2. Ex morte denique rediuiuus, & ad IV. In cruce.

quartam muneris sui partem, quæ benedictionis est, accessurus, byssô pariter & hyacintho seu purpura, sed glorificatis, & longè splendidissimis denuò indutus est. Christus enim Dei & Mariæ Filius in gloriam Patris, quam habuit antequam Mundus fieret, Ioh: 17. restitutus, & Sacerdos & Rex Ecclesiæ æternus per orbem vniversum, iuxta vaticinium, Ps: 72. & 110. Mich: 5. & iuxta Pilati & Herodis præsagia constitutus est.

Quarta Orationis pars.

Hæc copiosius illustrari posse, quis non videt? Sed ad finem properare me iubet temporis elapsi ratio, quare partem Orationis quartam breuiter expediam, vbi postquam de vestitu Christianorum Sacerdotali pauca dixero, & leuitatem vestiendi hominibus huius seculi vsitatam, pietate Christiana indignam esse ostendero, finem Orationis faciam. Primùm autem

κακοζηλία Pontificiorum in vestitu Sacerdotali.

κακοζηλία Pontificiorum explodenda est, qui stolis & epomide Sacrificulos suos ad operas sacras accessuros exornant, prætextu gloriæ Noui Testamenti, ne minor ea sit,

quam

quàm Testamenti Veteris, id quod fieret, si Templa & Sacrificuli Christum quotidiè in Missa tàm priuata quàm theatrica Patri cœlesti offerentes non pari instruerentur ornatu & habitu, quo Tabernaculum Mosaicum, vel Templum Salomonis, & Sacerdotes ac Leuitæ Veteris Testamenti exornati fuerunt. Quasi verò gloria noui Testamenti in hisce crepundijs consistat, quæ Paulus elementa Mundi & vmbras futurorum, Col: 2. & pædagogiam in Christum Gal. 3. nominat, quæ omnia finem suum assecuta sunt, postquam fides in Christum reuelata est. Christus enim est finis Legis, ad iustitiam omni credenti, Rom 10. ideoque cultus & gloria Noui Testamenti, iam est spiritualis & interior. Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus, Ps: 45. & veri adoratores Patrem in Spiritu & veritate adorant, Ioh: 4. Quare ineptijs Pontificiorum missis mysterium intueamur.

Vestitus Christianorum est duplex, partim omnium communis, partim cuiusq; propri- Vestitus Christianorum allegoricus.

Byssus Christianorum duplex.

proprius. Habent primùm omnes Christiani vestem communem, quæ est byßina duplicata, estq́ imputatio iustitiæ Christi & donatio Spiritus Sancti seu sanctificatio, quia per Christum gratia & veritas facta est, Ioh. 1. & iustitia ac vita pro peccato & morte, Iesa: 40. Spiritúsque gratiæ & precum, Zach: 12. Sanctis donantur. Postea habent Cinctorium ventris, Baltheum thoracis & Mitram capitis ex bysso, quæ est continua piorum pœnitentia, in qua ad finem vsque perseuerantes, saluantur, Matth. 10. Primùm enim cinctorio de contritione & peccato originali, in quo concepti & nati sunt, seu de mala concupiscentia, baltheo de voluntatis & cordis prauitate & contumacia, mitra verò de tristi mentis caligine, & in ijs, quæ Spiritus Dei sunt, cæcitate: Postea ijsdem vestibus de Fide, quæ est lux in mente per Spiritum Sanctum accensa, & firmus assensus cum fiducia gratiæ Dei coniunctus in voluntate & corde, meritum & iustitiam Christi imputatam apprehendens

Cinctoriū, baltheus & mitra Christianorum.

hendens sibiq́ applicans: Tertiò, de noua obedientia, quæ eſt trium præcipuarum animæ hominis potentiarum τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, θυμοειδοῦς καὶ ἡγεμονικοῦ cum Lege Dei, autore SpirituSancto, incoata conformitas, & peccati in carne reliqui mortificatio, admonentur. Atq; has veſtes ſi renati ad finem vſq; retinent, & quoties in peccatum prolabentes, hanc byſſum ſuam contaminant, ſine mora tamen reſurgentes, igne crucis & motibus ſeriæ pœnitentiæ eandem repurgant, alia byſſo longè ſplendidiſsima, quæ eſt iuſtitia conſummata & immortalitas, in ſeculo futuro induentur. Superinduemur enim, ſi non nudi reperiemur, 2. Cor: 5.

Habet præter hanc byſsinam ſuo quiſq; loco peculiarem ſibi veſtem hyacinthinam, quod eſt genus vitæ & vocationis honeſtũ & legitimum. Ex hac dependeant tintinnabula aurea & mala punica, & vnuſquiſque ſiue præſit ſiue pareat, in ſuo vitæ genere, Eccleſiaſtico, Politico, Oeconomico, Liberali, Mechanico, & quouis alio, quod honeſtum tamen & infamiæ turpiſq́; lucri Veſtis Chriſtianorum hyacinthina.

expers est, doctrinam puram, leges honestas & monita salutaria vel sonet vel audiat, & quæ vel docet vel docetur, integritate vitæ & veræ fidei fructibus ornet. Sit etiã sua ornatus Epomide, & ijs instructus medijs, quibus ad operas vocationis illius & vitæ generis rectè obeundas opus est, & non perfunctoriè tantùm eadem acquirere, sed cæteris excellere, & pietatis, eruditionis, aliarúmque virtutum facem illustrem præferre studeat. Onychas in humeris & piam Ecclesiæ, subditorum, familiæ, officijq́; vniuersi sibi commendati curam gerat, & in eo administrando fidelis sit & sedulus. Gestet in pectore Vrim & Thumim, veráſque de Deo & alijs rebus honestis ac vtilibus sententias diligenter inuestiget, inuestigatas constanter amplectatur, ipsóque opere exequatur & perficiat, atque vt semel omnia dicam, duodecim gemmarum virtutes suprà enumeratas in pectore habeat.

Epomis Christianorum.

Onyches.

Vrim & Thumim.

Cum hoc ornatu Animæ interiore, habitus etiam & vestitus corporis externus cõgrue-

Vestitus Christianorum exter-

gruere debet, qui non minùs, quàm sermo animum hominis, perinde vt cantus & pluma auem, prodit & arguit. Non tantùm igitur cuiusq; personæ & officio, sed etiam pietati Christianæ & grauitati Germanæ respondeat, & talem olim fuisse Senes meminerunt. Sed quæ sit hoc seculo leuitas maximæ partis hominum in Germania, & deformis in omni vitæ genere vestiendi ratio, cordati, vt initio dicebam, cum bile & gemitu aspiciunt.

[Margin: nus qualis esse debeat.]

[Margin: Vestitus Germanorum qualis iam sit.]

Ego verò etsi κακοζηλίαν *Pontificiorũ, quam dixi, nõ probo, & vestitum, quo personæ Ecclesiasticæ vel priuatim vel quoties ad sacras accedunt operas, vtuntur liberũ &* ἀδιάφορον *esse existimo: Nondũ tamen video, quomodo vel zelus pro veritate intempestiuus, vel leuitas istorum excusari possit, qui nulla infirmorum, muneri sue sui & grauitatis antiquæ ratione habita, in alteram temerè peccantes partem, vel omnem ornatum omniáque* ἀδιάφορα, *quibus nihil impietatis inest, & quæ antiqui orthodoxi bono retinuerunt consilio, vt pædago-*

[Margin: Habitus Theologicus.]

dagogiæ instar essent rudioribus, improbant, exturbant, damnant, atque hoc ipso ex libertate necessitatem faciunt, vel in suo ipsorum vestitu scurras quàm Pontificios imitari, & sordidi quàm graues perhiberi malunt. Quasi verò sinceræ religionis professio, & pia animi humilitas magis in sordibus vestium, quàm in κακοζηλίᾳ Pontificia consistat.

Habitus politicus.

Habitus eorum, qui olim ad gubernacula tàm infima quàm suprema sedebant, augustus erat, qui autoritatem personæ adderet, dignitatem muneri, quod gerebant, conciliaret, & pietati Christianæ grauitatique Germanæ congrueret, sed qualis hodie sit, αὐτοψία testatur.

Habitus communis.

Cæteri homines suo quisque loco ijs olim vtebantur vestibus, quæ animum pium, constantem & grauem, virúmque Germanum referrent. Sed his octo, quos attigi, Climactericis, Germania habitum animi & corporis penè omnem exuit, vt iam plures Gallos, Italos, Anglos & alias quasuis potiùs Nationes, quàm Germanos

in

in media Germania conſpicias. Hæc leuitas eſt indicium magni animorum morbi, & ad pietatem virtutémque priſtinam propemodum deſperati, quæ vtraque cùm olim Germanis eſſet familiaris, hodie vtramque exoleſcere, luxus in materia & leuitas in forma veſtitus arguunt.

Materiam Germanis Nationes exteræ magno vendunt pretio, & tanquam fatuos omni pecunia emungunt. Olim hominibus graduum diuerſorum, materia veſtiendi diuerſa erat conceſſa, & extant hodie leges in Politijs benè conſtitutis ſumtuariæ, quæ diſcrimen materiæ inter homines diuerſi ordinis ſtrictè ſanciunt, & in delinquentes ſeuerè animaduertunt. Sed in his terris, & hoc præſertim oppido, vt de mechanicis, aliorúmque ordinum hominibus non dicam, qui nihil ad nos pertinent, Scholaſtici certè præ cæteris hoc diſcrimen turpiter negligunt, dum alter alterum ob luxum admiratur, & ſuperare ſtudet, nulla conditionis aut proſapiæ ſuæ ratione habita, & ſæpè cum magno, Materia veſtitus hoc ſeculo.

ſudoribus parentum acquiſitæ pecuniæ & ſumtuum diſpendio.

Forma veſtitus hoc ſeculo.

Formam veſtitus plerique Germani non à Maioribus ſuis, ſed à Nationibus exteris effœminatis mutuantur, vt fatali quadam omnium rerum conuerſione Germani non amplius viros, ſed frontem depilati, comam pendulam ſqualidi, capita, ne Sole vrantur, petaſati, petaſos criſtati, colla & manus panereis circumuoluti, ventres & pectora tumidi, femora ſuffarcinati, faſcias, tibialia & calceos picti, ea denique parte, qua maximè viri ſunt, à ſexu ſuo quaſi degenerantes, vt plurimùm fœminas referant, vnde tot ſunt & tàm præclara, ſcilicet, victoriarum trophæa, quæ aliquot annorum decurſu, Germani paßim militantes, Maiorum ſuorum exemplo conſtituerunt.

Opiniones veſtitum peregrinum comitantes.

Imbibunt Germani cum veſtitu peregrino non ſolùm mores à grauitate Maiorum ſuorum priſtina, ſed etiam opiniones in omni doctrinarum genere, à doctrina Prophetarum & Apoſtolorum orthodoxa, quæ hiſce terris per Dn.

Luthe-

Lutherum & Dn. Philippum restituta est, alienas, & eas ipsas gentes peregrinas, quibus proprium est, nihil eorum probare, quæ Germani faciunt, & Germanos ob hanc ipsam imitationis stoliditatem præ se contemnere, opinionum portentis, sophismatum præstigijs, & cauillandi, atque omnia, quæ ab alijs candidè & rectè tradita sunt, labefactandi, & subtilitate quadam intempestiua & veritati perniciosa, euertendi studio, ceu simioli inepti stolidè imitantur, & vestitu luxurioso, deformi & plumato testantur, se quiduis aliud quàm Germanos esse malle.

O vtinam Germania religionem pristinam retineat, non dico Pontificiam, quæ recens est, sed Propheticam & Apostolicam, cuius lucem & nitorem pristinum Deus opera salutarium organorum, Domini Lutheri & Domini Philippi, sanctæ memoriæ, his terris & toti Germaniæ restituit. Peroratio.

O vtinam ad grauitatem morum & sanitatem habitúmque animi & corporis

pristinum redeat. O vtinam Nationum exterarum ineptias, & cum eis opiniones & mores non Germanos aliquando dediscat. O vtinam Nationes exteras, quas tamen non damnamus, cùm Ecclesia alio atque alio tempore plus minúsve lucis habeat, dummodò nos vicissim ipsæ non iudicent, ô vtinam, inquam, suis opinionibus triumphare, & egregiè sapere, suis sese moribus & gestibus oblectare, & vestitu suo, non dico monstroso, certè non Germano sese exornare, sibiq́ mirificè placere sinat, & uis ipsa interim et auitis legibus, religione, vestibus, gestibus & moribus, candore simplici & antiquo vtatur & viuat. Quia

Moribus antiquis stat res Germana virisque,
Moribus atque viris vt cadet illa nouis.

Sed surdis fortassè fabulam. DIXI.



